This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

Digitized by Google

2. 1517

UNIVER NT

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

EPIGRAMMATA IN HÆRETICOS.

Authore

ANDREA FRVSIO,

Societatis IESV.



DVACI,

Ex officina Ioannis Bogardi.

CIↃ. IↃ. XCVI.

Digitized by Google

Digitized by Google

ALEXANDRO DE LALAING MARCHIONI DE RENTY AD LITERAS HVMANITATIS IN COLLEGIO SOCIETATIS IESV DVACI INCVMBENTI I. Bogardus T. F.

S. P. D.

ARchitectonicæ artis principem Vitruuiũ, nobiliſsime Marchio, ingemuiſſe ferunt, quòd Poëtę, quos ipſa naturę vis & velut enthuſiaſmus ad cæleſtium rerum cognitionem ducebat, vanis prorſus, & impiis cõmentis æternitatis ſibi famam aucuparentur. Eò enim impudentiæ eorum plerique euaſere, vt profligatæ vitæ homines cælis inferrẽt, & apotheoſim celebrarent; in cælum receptos probroſis onerarent cri-

minibus; qua ratione humana ingenia in errorem prona, Diis ſcelerum authoribus, omnem ſibi impunitatem promiſere. Immenſis profectò calamitatibus aditum laſciua pagina indies reſerat, & adoleſcentum, quorum ætatis flexus in lubrico eſt, corraſis, quibus multarũ virtutum increuerat moles, clariſsimis moribus ad ruinam iter prætentat. An nõ illud eſt, quod quotidie magiſtra experientia diſcimus, dum non pauci humanitatis ſtudiis, vt in ſpeciem leuioribus magno ſupercilio contemptis, ad ſeueriora, vt inquiunt, ſeſe ſtudia accingunt; reuera autem diffluant ad delicias vſque vel Alexandrinas, ac toti etiamnum ſint inter Delphiticos cinædulos, quando corollaria hæc ſunt efferueſcentis luxuriæ. Verùm ne iſta obſtrigillãdi ratione dictaſſe videar, operę precium facturum me arbitratus ſim, ſi ipſiuſmet Ouidij prudentem hic palinodiam adiece-

Digitized by Google

ro. ſic enim ille:

Eloquar inuitus, teneros ne tange Poëtas,
Submoueo dotes impius ipſe meas.
Callimachum fugito, non eſt inimicus amori,
Et cum Callimacho tu quoq; Coe noces.
Carmina quis potuit tutò legiſſe Tibulli?
Vel tua cuius opus Cynthia ſola fuit?
Quis potuit lecto durus diſcedere Gallo?
Et mea neſcio quid carmina tale ſonant.

Quid? diuinos ergo & cælitus miſſos Poëtas è medio ſublatos in barbaras terras ablegamus? minimè verò: ſed caſtos volumus, & qui ſtimulos pietatis excitent, non libidinis: hæreticos fodiant, non animos. Tales ſanè, meo quidem iudicio, Prudentius, Hieronymus Vidas, in pleriſque Sanazarius, & poſtremò Andreas Fruſius ſocietatis Ieſu: cuius epigrammata, quæ in ipſa Gregorianæ molis inauguratione Romę aliquando luſerat, ita omnium animos exhilararunt, vt in Vrbe primò, inde in Germania, demum in hoc Belgio noſtro mira Typographorum contentione ad prælum raperentur: neque ita citò

excuſa, quin diuendita; neque ita citò diuendita, quin crebra lectione trita cernerentur. Nec me latet fuiſſe nonnullos, qui lingua prurientes nimis quàm licenter in Fruſium inuolarent, eumque ſcyllæi canis inſtar adlatraſſe Eraſmum de rep. literaria optimè meritū dictitarent; homines ab Mineruæ quinquatribus naturæ decreto ſubmouendi, ac prorſus cærite cera digni, vt eſt apud Horatium. Vt libet tamen ſuo furore iſti agitentur: ego ſanè quo honore alio cumulandus ſit nō video, cuius ab Eccleſia nomen in ſcriptorum catalogo obelo annotatum videmus. Quare cùm Fruſij libellum formis iterum excuſum publicam facere materiam ſtatuerem, viſum mihi inprimis eſt, nobiliſsime Iuuenum, eum tibi nuncupare, quò nobilem illam præſtantis animi tui indolem magis magiſque promouerem. Effert enim ſe quotidie, vt inaudio, ingenij tui fæcunditas, & ita

qui-

Digitized by Google

quidem ſeſe effert, vt commilitonibus tuis vniuerſis non ſplendore tãtum ſtemmatis tui, quẽ quidẽ belli fulmen pater tuus miris modis illuſtrauit; ſed etiã eruditione longè antecellas. Macte virtute tali prognate proſapia: quotidianis perge quò cepiſti incremẽtis, ad Mineruę primũ, inde Gloriæ Arcem: & munuſculũ hoc noſtrum benignè ſuſcipe. quod ſi infra tuę nobilitatis eſſe faſtigium iudicabis, cogites velim multas gẽtes Diis lacte & mola quandoque ſalſa litare, quæ thura non habeant. Vale. A. D. VIII. Kal. Iun. an. CIↃ. IↃ. XCVI. Duaci.

Digitized by Google

ALEXANDRO DE LAlaing Marchioni de Renty.

STirpis Alexander Lalaingæ clara propago,
Solus honos, tantæ gloria ſola domus.
Quin age, in hæreticos bellantē imitare parentē.
Quin reddis patriæ patris imago patrem?
Mirus erat quondā patriæ pater, alter vt Hector,
Tu Aſtyanax, Troiæ ſpéſq; relicta tuæ.
Fulmē erat, Martiſq; decus, pater inclytus armis;
Tu quoque (ni fallant carmina) fulmen eris.
Non fallunt: ſed ais; nondum eſt bello vtilis ætas:
Intereà Muſas ſollicitabo meas.
Eas age ſollicita, ſunt & ſua prælia Muſis,
Armaq; in infandæ turpia monſtra Stygis.
Muſæ animos armāt Mars in fera prælia dextras;
Verùm animi imbellis dextra iacente iacet.
Nunc animos armæ Muſis, tum dextera certet,
Martia in hæreticos Fruſius arma dabit.

In Auctorem.

ESt paruus fateor, magno ſed Fruſius ore
Magna canit, paruis gratia nēpe ſua eſt.

Ad Lectorem.

QVi legis in Scythico diſtractus mōte Prometheus
Æternam vt miſero viſcere paſcat auem:
Siue Cleonei Alcidis ſpolia ampla Leonis:
Stymphalidas volucres quid niſi monſtra legis?
Si te delectant vatum impia monſtra, Poëta
Non iſte hæreſeos monſtra minora canet.

Digitized by Google

AD D. ALPHONSVM SALMERONEM THEOLOGVM SOCIETATIS IESV.

CVm peteres verſus, me ſcribere poſſe negaui;
Non petis, en ſcribo: ne lege, & vltus eris.
Inconſtans videór? non te latet eſſe Poëtis
Hunc morem, vates vt Venuſinus ait.
Cauſa tamen non deeſt: facit indignatio verſum.
Quis viſa hereſeôn peſte tacere queat?
Mutus vt ante puer vocem prorupit in altam,
Dum Crœſum patrem cerneret enſe peti:
Sic mihi nunc linguæ franguntur vincla coacta,
Dum matrem aſpicio pœnè perire meam.

2 De Martini Lutheri vita & morte.

O Felix Martine, tuis vt conſona votis
Cŭcta cadŭt: viuĕs quod cupis, hoc et habes.
Temporibus noſtris vis hereſiarcha timeri,
Peior & antiquis omnibus, hoc & habes.
Ambitione flagrans, ſacro nec honore potitus
Vis author fieri ſchiſmatis, hoc & habes.

Digitized by Google

Vis fugere ex humili diſcinctus apoſtata clauſtro,
Barbaricisque coli gentibus, hoc & habes.
Vlciſci vis Pontificem, Clerúmque malignis
Prodere ſpernendum fraudibus; hoc & habes.
Vis vt nulla tibi lex imperet, atq; poteſtas,
Sisque iugo excuſſo Belial; hoc & habes.
Vis placitos fœdæ ſatiare libidinis æſtus,
Sacrilegisque frui nexibus hoc & habes.
Vis eſca potuq; gulam cum ventre repleri,
Tale Dei ac regnum ſi foret; hoc & habes.
Vis tua vt eructet doctrinam crapula falſam,
Quæ pro lege Dei pullulet. hoc & habes!
Vis ſacra, vis ſanctos adeò peſſundare ritus,
Vt commenta hominũ quis putet, hoc & habes.
Vis etiam in diuos blaſphemas pedere voces;
Ne ſit honos illis debitus, hoc & habes.
Vis credi non eſſe locum poſt funera manes
Purgantem populus ne iuuet. hoc & habes.
Inferni vis eſſe tamen (ſed iam ſcio nolles)
Supplicium dirum ſontibus, hoc & habes.
Infelix Martine tuis nunc diſſona votis
Cuncta cadũt quod vis mortuus, hoc nec habes.
Errores reuocare ſatos, & crimina velles
Expurgare modis omnibus, hoc nec habes.
Iam non eſſe Deum velles, aut poſſe repelli,
Ne te pro meritis puniat, hoc nec habes.
Perpetuis ſaltem merſum non viuere pœnis,
Atque mori velles, hoc & habes, nec habes.
Et quia plus cruciat quod vis non poſſe, perire
Velle tuum velles, hoc & habes, nec habes.
Deniq; velle tuum vt culpæ ſic regula pœnæ eſt.
Quod non vis, & vis; hoc & habes, nec habes.

3. Elogium Martini Lutheri ex ipſius nomine & cognomine.

DEpinget dignis te nemo coloribus vnquam,
Nomen ego vt potero ſic celebrabo tuum.

Magnicrepus,	mendax,	moroſus,	morio,	monſtrum,
Ambitioſus,	atrox	aſtutus,	apoſtata,	agaſo,
Ridiculus	rhetor,	rabioſus,	rabula,	raptor,
Tabificus,	tumidus,	tenebroſus,	trāſfuga,	turpis,
Impius,	inconſtans,	impoſtor	iniquus,	ineptus,
Nycticorax,	nebulo,	nugator,	noxa,	nefandus,
Ventoſus,	vanus,	vilis,	vulpecula,	vecors,
Schiſmaticus,	ſtolidus,	ſeductor,	ſimia,	ſcurra,
Laſciuus,	leno	laruatus,	latro,	laniſta,
Ventripotēs,	vultur,	vinoſus,	vappa,	voluptas,
Tartareus	torris,	tempeſtas,	turbo,	tyranus,
Hæreſiarcha,	horrendus,	hypocrita,	hydra,	hermaphroditꝰ,
Erro,	execrandus,	effrons,	effrenis,	erynnis,
Retrogradus,	reprobus,	reſupinus,	rana,	rebellis,
Veſanus,	varius,	veterator,	vipera,	virus,
Sacrilegus,	Sathanas,	ſentina,	ſophiſta,	ſceleſtus.

4 De hęreticis in conciliū non admittendis.

CVr ad concilium vocantur iſti?
Num ſuffragij habere ius ſinentur?

Digitized by Google

Quis iudex aliquando contumaces,
Conuictosq́; reos ſedere ſecum,
Nec non criminibus patrocinari
Permittit? tamen haud verentur iſti
Effrontes petere hoc & arrogantes:
Immò iudicibus præire poſcunt.
Hos taxant temerè, hos calumniantur,
Hos præiudicio furente damnant:
Ergo à concilio arceantur iſti,
Aut tanquam miſeri rei audiantur.

5 De Ijſdem.

NVm Stygiã Minos, Rhadamanthus, et Aeacus vrnã
Cõſilio umbrarũ iudiciũq́; regũt?
Hæretici at noſtri non ſe defendere tantum,
Sed damnare etiam iura, forumq́; volunt.
Nunc iam à iudicibus quibus eſt diuina poteſtas,
Separet effrontes vltio digna reos.

6 De Ijſdem.

NVnquid diſſerere atq; iudicare
Par eſt de nitido colore cæcum,
De ſymphoniaco tenore ſurdum?
Num de relligione Lucianum?
De iuris reuerentia Cyclopem?
Num de laude modeſtiæ Thraſonem?
De linguæ moderatione ſcurram?
Num de magnifico ſtatu Euclionem?
Num de legibus optimis tyrannum?
De clemente animo ac pio Neronem?
De morum ingenuo pudore Galbam?
Num de iuſtitia integra latronem?

Digitized by Google

Num de legitima fide rebellem?
Num de æquoq́ bonoq́ proditorem?
Num de conſilio tenebrionem?
De frugi œconomo ſui profuſum?
Num de ſimplicitate verſipellem?
Num de cælibe puritate ſcortum?
Num de ſobrietate gaſtrimargum?
De vitæ probitate ganeonem?
De geſtu grauitatis hiſtrionem?
Nunquid de ſapientia ſaperdam?
De rectis rationibus ſophiſtam?
Num de lumine myſtico profanum?
De virtutibus omnibus ſceleſtum?
Num re deniq́ de bona proteruum?
At quanto minus (ô Deus ſupreme)
Fas de dogmatibusq́ ritibusq́
Sanctis, in Synodo ſacra ſedentes
Iſtos dicere veritatis hoſtes?
Nam quid promere non inane, prauum,
Deteſtabile, noxiumq́ poſſunt?
Reiecti procul ergo, (ni recantent)
Damnatiq́, Deo approbante, diſcant
Quanto conciliabulis malignis
Maius concilium ſit Orthodoxum.

7 Ad Eoſdem.

CRimina veſtra leui quod carmine pũgo, dole-
Parcite, faxo libens, ſi grauiore queam (tis?

8 De iiſdem pœna potius vel contemptu, quàm diſputatione refellendis.

QVisquis in hæreticos rationũ ſpicula torquet,
Aëra, vel reſtuas irritus icit aquas.

Ludus vt eſt reprobis virtus, ſapientia ſtultis,
Sic ratio inſanis nænia prorſus erit.
Supplicijs præſtat cohibere ſalubribus illos:
Namque vigent ſenſu qui ratione carent.
Deſinite hos igitur certamine cingere docto,
Plus multis verbis verbera pauca mouent.
Verbera ſi nequeant inferri, verbaq́; reſtant,
Si via deeſt pœnæ, pennaq́; ſola manet:
Hos dictis ſcriptisq́; ſat eſt illudere dignis,
Nil grauius riſu corda ſuperba ferunt.

9 Aliud.

SCommatibus certare libet? certemus vtrimq́;
Noſtra magis pungent. cur? quia vera magis.
Crabrones, fuci ignaui irritare quid audent?
Quid pulpamentum quæritat ipſe lepus?

10 Aliud.

COntra Cretenſiſmo ſi cretiſſare (quod aiunt)
Conuenit, & clauum trudere clauus habet:
Si vendens fumos fumis eſt iure necandus,
Et cuneus nodo vult malus eſſe malo:
Denique ſi qua tenet iuſtæ vim talio legis,
Et quo quis peccat plectere more decet:
Artibus hæreticos vlciſci congruit illis,
Nos quibus inſigni pro ratione petunt.
His Mycteriſmus, ſtropha, & ironia, cachinnus,
Sarcaſmus, ronchus, lœdoriæq́; vigent.
Iuſtius hæc nobis in eos ſint arma, cadantq́;
In iaculatorem tela retorta ſuum.
Vtq́; Paleſtinum proprio necat enſe gigantem
Hebræus ſupero fretus amore puer:

Digitized by Google

Nos quoque diuina freti pietate ſuperbum
Hoſti abſcindemus, quo furit, enſe caput.

11 De Martini Lutheri falſa miſsione, vel arrogantiſsima factione.

CVr Luthere Dei verbum temerarius efflas,
Ni miſſus pura ſimplicitate venis?
Simpliciter miſſum ratio te nulla docebit,
Sed tibi compoſitis miſsio multa modis.
Promiſſus fueras irato numine pridem
Viſus Iohanni noxius ille draco.
Tandem Antichriſto prodis præmiſſus, vt illi
Seductis populis impia regna pares.
Ex alto demiſſus ades non æthere, verum
Aëre, ſpiritibus quæ ſcatet ora malis.
Aut dæmon in carne venis emiſſus ab imo
Gurgite, quò turbas fraude ligante trahis.
Vnus es ex priſcis aut hæreſiarcha remiſſus:
Perfidia at cunctos qui preiere preis.
Vaſtandum Domini furijs immiſſus in agrum
Es rabioſus aper, cauſa nec ipſa latet.
Ambibas apicem, ſed prætermiſſus in iras
Primò exardeſcens impia verba vomis.
Deinde intermiſſus paulum, erroriſq; neſandi
Conſcius, huc, illuc turgida corda rapis.
Demum in deterius ferris dimiſſus ab ipſo
In reprobum ſenſum funditus ire Deo.
Et reprimi fræno ſuperæ bonitatis omiſſus,
Planè obduratum cor Pharaonis habes.
Amiſsis iam Catholicis omninò periſti
Officijs orbus, ſubſidijſq; pijs.
Ecce libidinibus penitus ſubmiſſus iniquis

Non ſcelus eſſe putas, quod cupis, immò decus.
Commiſſus Sathanæ es captiuus, vt eius ad omnem
Deinde voluntatem ſic teneare miſer.
Illius imperio tranſmiſſus ad omnia præceps
Flagitia, in leges & ſacra iura furis.
Diuinum quoque blaſphemas permiſſus honorē,
Auctorem ſceleris qui facis eſſe Deum.
Compoſitè ergo modis varijs te colligo miſſum:
Simpliciter miſſum dicere nemo poteſt.
Nec mirum: nam compoſito vitijsq́ dolisq́
Miſsio non ſimplex conuenit ipſa tibi.
Simpliciter mitti ſed habet tãtummodo, quiſquis
Simpliciter dici iure propheta poteſt.
Compoſitè miſſus tu, compoſiteq́ propheta es,
Et proprium eſt nomē Pſeudopropheta tuum.

12 De contentione Hæreſiarcharum inter ſe.

NOſtra ætate licet multi cœpere proterui
Catholicam matrem calcibus impetere:
Sic tamen ambitio inter ſe commiſit eoſdem,
Vt reliquis palmam cedere nemo velit.
Hus fuit è primis Sathanæ quem martyra factum
Laudauit Luther, diſcipulusq́ fuit.
Sed ſuperare volens, omnemq́ negare magiſtrum,
Incœptum auxit adhuc impietatis opus.
Huic meritas retulere vices hinc Zuinglius, illinc
Bucerus, & quotquot dogma tulere nouum.
His Anabaptiſmi præfert ſe Baltaſar auctor,
Ac ita disſidijs rem, gladijsq́ gerunt.
Cumq́ negent vnum populo caput eſſe fideli,
Quiſque dari hoc ſibi vult hæreſiarcha decus.
Omnibus vna quidē mēs eſt, furor omnibus vnus,
Perdere

Perdere Catholicum viq́ꝫ doloq́ꝫ gregem.
Hinc ſpoliant, multantq́ꝫ ſimul ſe mutuo rurſum.
Latrones inter quàm male tuta fides!

13 De eadem contentione.

IAm Lybicas nobis nemo decantet arenas,
Serpentum quotuplex pullulet inde genus.
Serpentum ſpecies Germania germinat omnes,
(Vt taceam noua quod monſtra ſubinde parit.)
Scorpius hîc, coluber, iaculus draco, vipera, dipſas:
Hic preſter, aſpis, ſeps, ſalamandra frequens.
Hîc amphiſbæna eſt, hæmorrhois, atq́ꝫ ceraſtes:
Mortiferum quicquid deniqꝫ virus habet.
Talia nec ſolos homines animantia lædunt:
Conficit haud aliter mutuus illa furor.
Oppoſitis nam cùm ſoleant turgere venenis,
Pace frui feritas ambitioq́ꝫ vetant.
Pugnate heus, validè ſpacioſa victor arena
Qui regnet, veſtrûm qui baſiliſcus erit.

14 In Oecolampadium, de eius nomine.

FOrte tibi atque tuis placeas de nomine pulchro,
Dictus Athenæa voce lucerna domus.
Diſpliceas potius: nam planè extincta lucerna eſt,
Ac tetro plenam liquit odore domum.
Si tenebræ ſunt ergo, domo quod lumen in ipſa eſt:
Ah tenebræ quantæ (Chriſtus vt inquit) erunt!

15 De Eodem.

SI cupias à luce tuum deducere nomen,
Lucifer hoc vt habet iuris, habere potes.

16 In Zuinglium.

DAt tibi condignum vehemẽs agitatio nomen:
Quæ magis eſt animo vis agitata tuo?
Sic fuit (vt narrant) furijs agitatus Oreſtes
Cæde recens vltus matris adulterium.
Te iugulum ſanctæ matris ſceleroſe petentem
Quot furijs, quanto peius oportet agi?
Non adeò hybernæ iactant freta vaſta procellæ,
Non adeò præceps æthera turbo quatit.
Non montana adeò flabris luctantibus arbor
Concutitur, tonitru pulſa, vel aura graui.
Vibratur leuius miſſo catapulta molari,
Atq; gigantea funda rotata manu.
Tu patriam furijs agitas agitatus iiſdem;
Marte ſed infauſto dux miſerande cadis.
Nunquid apud Stygias agitari deſinis vmbras?
Pluto Ixioniam det tibi iure rotam.

17 In Bucerum.

COgnomen rectè à bubulo fers Bucere cornu,
Rectè cornupetam te liquet eſſe bouem.
Caſtratum at monachum cũ te ſimulaueris olim,
Tertia nunc (aiunt) nupta iuuenca tibi eſt.
Europam quondam Taurus violauit adulter,
Europam Taurus ſacrilegus violas.
Paſiphaæ Taurum commixtum fraude fuiſſe,
Et Minotaurum ſic genuiſſe ferunt.
Paſiphaën ſubigens grauiori crimine ternam
Quid monſtri horrendi non generare queas?
Ergo ferox cum ſis, & luxurioſus, abhinc te
Bucceron haud dicas, ſed mage tauroceron.

Digitized by Google

18 In Caluinum.

CAluus es abſq; comis operum Caluine bonorũ,
Qui nudam Chriſti vis ſatis eſſe fidem.
Sed quia caluitium natura turpe videtur,
Illud hypocritico crine ſophiſta tegis.
Caluitium Caluine tuum iam iamq; patebit;
Decutiet falſas aura ſuperna comas.
Vertice tunc nudo magis es Caluine futurus,
Simia quàm glabro podice ridiculus.
Haud nudum immò coma falſa labente patebit,
Quod ſcabies totum contegit atra caput.

19 In Melanchthonem.

TEutonico nigræ pudefactus nomine terræ
In Græcum mutas, triſte ſed omen idem eſt.
Eſſe quidem terram mortales nouimus omnes,
Sed terram vnde genus ſumpſimus, eſſe rubrã.
De terra ſiquidem ſit rubra, & dicitur Adam,
Terreniq; pari conditione ſumus.
Quid nigredo ſibi tua vult: non (obſecro) ſolum
Terrenum te vis eſſe, ſed & Stygium.
Quem libet exoptet potius tua terra colorem,
Ni cœnum dici prorſus, & eſſe velis.
Alba vt honorificis terra eſt aptiſſima vaſis,
Sic te ignominiæ vas nigra terra facit.

20 In Eraſmum.

CVr monach⁹ fratres et clauſtra relinquis Eraſme.
Non miſera factũ hoc ambitione caret.
Namq; latens illic velut in ſcrobe, vilis eras mus;
In lucem, vt videas, & videare, ſalis.

Ridicu-

Ridiculum at murem mons parturiiſſe videtur,
Theologum dum te rhetor inepte facis.
Quin etiam temerè per ſcrinia ſacra vagantem
Muſcipulam hæreſeos te ſubiiſſe ferunt.
Dum ſtrepis, & rodis ſanctorum dogmata patrū,
Tartarei ſæuo felis ab vngue caue.

21 In Munſterum.

MOnſtraris digito Munſtere, & diceris, hic eſt:
Quare à monſtrādo non male nomē habes.
Namque tibi hæreticos inter non vltima fama eſt,
Secta ſed è multis ſat tibi nulla placet.
Ipſe nouam fingis mutilatis pluribus vnam,
Vt Mahumetanæ legis habetur opus.
Schiſmaticis aptas Iudaica cornua membris,
Gentilis nec pars impietatis abeſt.
Eſſe ita te monſtrum mōſtras Munſtere coortum,
Rectius à monſtro ſic puto nomen habes.

22 In Brentium.

BRentius vnde poteſt dici benè? Brontius aptè
Dicitur, vt pateas id quod es, attonitus.

23 In Capitonem.

SVnt capitati homines omnes, ſed diceris vnus
Tu Capito. quare? tu capitoſus homo es.
Sit paruū, eſto, caput, vacuumq́; (vt credo) cerebri,
Tu capitoſus adhuc, & cerebroſus homo es.
Nec non te Capito capitalem dicere iuſtum eſt.
Hoſtis enim Chriſti ceu capitalis agis.
Vnum tu caput es diræ ex maioribus hydræ,
Cumq́; aliis meritas experiere faces.

Tu

Digitized by Google

Tu caput inuiſum Capito ſuperiſque, pijsq́;
Tu charum furijs, dæmonibusq́; caput.

24 In Pelicanum.

NEc te plauſibili Pelicani nomine iactes;
Huic volucri pietas, impietásque tibi eſt,
Dictio, réſque volunt te dici à pelle canina,
Cùm tibi ſit pellis iure canina cani.

25 In Carolſtadium.

NOn ſimplex, ſed compoſitum, decompoſitumq́;
Nomen habes, qui nil ſimplicitatis habes.
Nempe caro, ac oleum, ſtadiumq́; in nomine cõſtãt,
Quæ tria res ſectæ monſtrat adeſſe tuæ.
Eſt manifeſta caro nullo velata pudore,
Vix Epicurei ſunt Cynicique pares.
Nuda caro pro delicijs oleo vngitur illo,
Quo fieri haud Pſaltes vult ſibi pingue caput.
Lex ſiquidẽ indulgens ventri, veneriq́; reperta eſt,
Sic pulchrè vobis eſt oleata caro.
Athletis igitur nudis quid reſtat & vnctis,
Ni ſtadium quod das hæreſiarcha nouum?
Huius Agonothetes ludi eſt Sathanas, Furiæque
Præcones ſtygiæ præmia certa pyræ.
Macte, Carolſtadij dignum te nomine præſtas,
Sic caro, ſic oleum, ſic ſtadiúmque tibi eſt.

26 In Bullingerum.

NOſtra tibi fecit piſtoris Gallia nomen,
Piſtrino piſtor quam benè dignus eras.
Apparet cuius ſis Bullingere farinæ,
Nemo tuos panes perfide piſtor edat.

Digitized by Google

Fermento haud modico totã corrumpere maſſam,
Et Chriſti in panem mittere ligna ſtudes.
Piſtor in exemplum tibi ſit Pharaonius ille:
Nam Stygio piſtor ſub Pharaone meres.
Quod ſi vera Deus præſignat; vt ille pependit,
Sic te furciferum furca tremenda feret.

27 Ad Muſculum.

AVdio, neſcio quis temerè quod Muſculus errat,
Calcat & immundo limina ſancta pede.
Æditnis ſtrepitu placidam turbare quietem,
Et quotcunque poteſt gaudet obeſſe modis.
Sacrilego violat diuina chariſmata rictu,
Sordibus ac fuſis myſtica vaſa replet.
Sanctorum rodit mutilátque volumina Patrum,
Ridet & illatis muſculus iſte malis.
An tibi non cenſes hominemq́; Deumq́; timendum
Muſcule? non felem muſcipulámque caues?
Ni fugis in latebras, ceſſasq́; nocere, futurum eſt
Indicio vt pereas Muſcule ſtulte tuo.

28 In vxorem Buceri, de eius morte.

HOrrificæ quiſnam extiterit necis iſtius author,
Heretici litem, Catholicique mouent.
Dæmonio hi factum tribuunt quaſi cælitus acto,
Pœna ſit vt ſonti, ſit reliquisq́; timor.
Aſt illi ne nequitiam fateantur apertam,
Criminis vxorem ſuſpicione ligant.
Maior & vt cauſæ ſit coniectura probandæ:
Hæc alios (aiunt) perdidit ante viros.
Hanc ſiquidem poſt quã Capito duxiſſet, & Oeco-
Lampadius, ſpatio vixit vterque breui.

Ter-

Digitized by Google

Tertius acceſsit nunc hereſiarcha maritus,
Isq́ repentina vi necis ecce perit.
Iudice me verum dicunt vtrique, ſit author
Fœmina, ſed talis fœmina dæmonium eſt.
Heus Stygum, et Eumenidũ, Lamiarumq́ optima,
Hæreſiarcharum nubere cuiq́ velis. (deinceps
Qua vi cunq́ potes cunctos quanto ocyus effer,
Dein tibi pro meritis Pluto maritus erit.

29 In Hoſiandrum.

SIc tibi mens demens, ſic frons Hoſiãder et effrõs,
Vt ſancti cupias nomen habere viri?
Tam procul, imò magis diſtant à nomine mores,
Quàm Nero dicatur ſi Numa, Galba Cato.
Vis dicam quid ſis Hoſiander? hypocrita planè es,
Nomine diſsimulans impia facta pio.
Te fœdam ob Venerem tua Nuremberga fugauit,
Hæreticos alios quæ ſtudioſa fouet.
Moribus ergo tuis condignum delige nomen,
Nec ſanctum te ſcis eſſe, nec eſſe virum.
Vel tibi Grammatico notam dic eſſe figuram
Antiphraſin, dicit ſed tua vita ſatis.

30 In Valdenſem.

QVod Græcis fuit ante Lucianus,
Quod lingua Latia recens Eraſmus,
Areticus & eſt quod ore Hetruſco,
Et quod carmine Gallico Marotus,
Hoc Valdenſis idem ſtylo eſt Ibero.
An nondum capis id quod aio lector?
Eſt ſollers, & acutus, & diſertus:
Sed fallax, temerarius, prophanus,

Hic

Hic eſt anguis atrox latens in herba,
Eſt in ſumma trahens pericla Siren,
Eſt blanda, eſt meretrix ligans loquela.
Hic vult te gladio cito necare,
Mellitum tibi porrigit venenum:
Ne ſis (ſi ſapis) ergo curioſus,
Lector, crede alijs, nec experire,
Ne ſerò ſapiant Phryges (quod aiunt.)

31 In Petrum Martyrem.

EXtitit vt Iudæ nomen commune duobus,
Tam quibus abſimilis vitaq́ mórsque fuit:
Sic Petrus Martyr tu diceris, vt prior alter,
Cetera ſed longè diſſona vterque tenet.
Nam fuit ille probus, ſapiens, pius atque fidelis;
Tu reprobus, demens, impius, hæreticus.
Ille & apoſtolica clauſtrum integritate colebat;
Nequitia clauſtrum linquis apoſtatica.
Denique ab hæreticis iniuſtè eſt ille peremptus;
Iuſtè à Catholicis te perimi ſupereſt.

32 De Arij & Martini Lutheri ſimilitudine.

HAereſis eſt bellum, quo nō furioſius vllum eſt,
Inter vt Angelicos credo fuiſſe choros.
Belliſonumq́ ab ἄρης bene ſumpſit nomen Areius,
Qui ſummus Græcis hæreſiarcha fuit.
Tu quoq; cùm ſummus ſis hæreſiarcha Latinis
Martine, à Martis nomine nomen habes.
Nomen idem eſt, et idē ſtudium, progreſſus & idē.
Idem ſit finis. quis? crepat ille, crepes.
Sin tibi mors lenior contingat, flamma ſequetur
Acrior, aut non eſt iuſtus, vt ante, Deus.

33 De

33 De merito bonorum operum, ad Lutherum iam mortuum.

Q*Vid Luthere negas benè nos operando mereri?*
Qui merita eſſe negat, præmia & eſſe negat.
Hæc quoq; forte negas, quibus es priuatus, vt illis:
Non ſcelerum at pœnas eſſe negare potes.

34 In mortem Buceri horribilem.

C*Vm ſopitus adhuc claro iam mane iaceres,*
Cúmque foret tutæ ianua clauſa domus,
Mortuus obtorto reperiris Bucere collo,
Et verſa occipitis ſyncipitiſque vice.
Tum faciem (horrendum) totam piceata nigredo
Inficit, ac extra os liuida lingua tumet.
Euge Deo ſoluit meritas Eccleſia grates,
Iuſtitiæ quod det nunc quoq; ſigna ſuæ.
Hæreticam vulgus peſtem non ante videbat,
Quæ ſub hypocriſeos veſte nitente latet.
Nunc interna patent externis crimina ſignis,
Vitáque quod texit, mors patefecit opus.
Mollicies etenim lecto, vecordia ſomno,
Et mala vita mala morte notanda venit.
Quam benè ſic torto ſignatur apoſtata collo,
Reſpiciens retro miſſa ad aratra manu.
Per faciem Aethiopum deformius ore nigrantem
Corrupta mentis proditur atra lues.
Liuida lingua tumens, exertáque nonne profuſum
Perfidiæ virus nequitiæque notat?
Carnificem porrò cacodæmon egit, vt iſtis
Perpetuum oſtendat ſe fore carnificem.
Hoc bonitas diuina modo monet acriter omnes,

Digitized by Google

Horribile vt fugiant perditionis iter.
Tu quoque dicebas interdum Bucere viuens;
(Doctrinam haud poteras quãdo probare tuam)
Si non quod volumus valeamus vincere, ſaltem
Cauſa alicuius erit factio noſtra boni.
Hoc de morte etiam poteras prædicere verum:
Nam tua mors multis cauſa ſalutis erit.
At tibi nec merces vlla eſt, nec gratia, quippe
Nulla tua aut noſtra cura ſalutis erat.
Iudicio pereas igitur ſcelerate tremendo:
Salua ſit exemplo territa turba tuo.

35 In Eandem.

QVis ſtrangulauit Bucerum? quiſquis fuit,
Homo, ſiue dæmon, grande confecit ſcelus.

36 De concilio ſuſpenſo.

AFflictum miſerans Aſtræa reuiſerat orbem,
Et pia concilio iura ſedente dabat.
Nunc vbi concilium ſuſpendi cernit, & audit,
Ipſa quoq; ἐς κόρακας vix reditura fugit.

37 Aliud.

TEmpeſtas deſæuit adhuc, & creſcit in horas,
Nec iactura leuat, nec labor árſque iuuãt.
Denique ſacra (ſpei reliquum) nequit anchora figi;
Irrita ſed pendet. naufragíjne fuga eſt?

38 Aliud.

COncilium pacem iam reddere cœperat orbi,
Ecce repente nouus concutit arma furor.
Improba (credo) ſuum perſuaſit adultera Martem,

Pro

Pro occulto hereticis numine grata Venus.
Sic viuit bellum, ſic hereſis, ac ſcelus omne:
Sic pax, conſilium, conciliúmque perit.

39 Aliud.

LAtrones hinc inde furunt, ſuſpenditur ecce
Iudex: numen vbi eſt? credo timere ſibi.

40 Aliud.

ADuerſis aduerſa licet ſint omnia fatis,
Spes tamen in Synodo capta ſalutis erat.
Nunc verò poſtquam infelix ſuſpenditur illa,
Ad reſtim dici res rediſſe poteſt.

41 Synodi Tridentinæ de ſuſpenſione ſui ad calumniantes apologeticus.

SVſpenſa quod ſim, crimini ne vertite:
Me ſtare firmam debilis vigor vetat;
Sedere bellum me quietam non ſinit:
Iacere pronam vel ſupinam me pudet:
In alterutrum nec latus flecti decet.
Quis ergo reſtat congruus mihi ſitus?
Quis reſtat etiam congruus mihi locus?
Calcare terram ſic diutius me piget.
Latere prorſus me ſepultam non lubet,
Ad aſtra nondum penitus ingredi licet.
Dum penſitaret hæc, & inter omnia
Minus moleſtum quæreret ſitum ac locum;
Poſtremò ſuſpendium anima elegit mea.

42 Aliud.

SVſpendi malo, quàm vrgenti turbine labi.
Rectior hic ſaltem eſt (ni queo ſtare) ſitus.

Digitized by Google

43 Aliud.

CHriſti, meiq; eſt multa conformatio,
Fœlicitatis argumentum ingens mea.
Sæpe impeditus ſuum opus ille diſtulit;
Meum impediuit crebra prorogatio.
Iudæa, Galilæáque petenda illi fuit;
Et me migrare compulit tranſlatio.
Illi ſuperbi reſtitêre principes;
Mihiq; Regum dira proteſtatio.
Quid plura? ſicut ille ſuſpenſus fuit,
Contingit ecce nunc mihi ſuſpenſio.
At ille victis vt reſurrexit malis,
Vtinam futura ſit mihi reſurrectio.
Diſcrimen etſi temporis magnum datur
Bienniȷ: At pro triduo triennium
Minimè recuſo, dum ſequatur poſtea
Chriſti meique plena conformatio.

44 De inſtanti hæreticorum euerſione.

SI neq; ſcripturis, neq; iam rationibus vllis,
Nec patribus ſanctis cedere monſtra volunt,
Herculea niſi adeſt humana potentia claua,
Quæ domet hæc, iuncta qua flagret Hydra face.
Non tamen euadent diuinæ fulmina dextra,
Non impunè diu crimina tanta ferent.
Immò quidem (certis liceat ſi credere ſignis)
Pro Iſraële Deus pugnat, & ille ſedet.
Nam velut inſano miles Pharaonius auſu
Intrat Erythræas mox periturus aquas:
Vtq; Philiſtæi, gladȷs in mutua verſis
Vulnera, cum Ionathas exerit ora, cadunt.

Digitized by Google

Vtq́; (tegit verum ſi fabula) dentibus orti
De ſerpentinis ſe necuêre viri:
Vt lapis abſque manu exciſus de monte, ſuperbæ
Difformes artus comminuit ſtatuæ:
Vtq́; ſuo tumidi frangunt ſe verbere fluctus,
Et tenebræ fuſo lumine ſponte ruunt:
Vt ſua certantes ſternit violentia ventos,
Diſsipat vt proprius nubila denſa fragor:
Et (libet exemplis ad vilia vilibus vti)
Vt nimio fluitans bulla tumore crepat:
Vt ſe papilio flamma cremat vltro petita,
Perniciémque ſibi turdus vt ipſe creat:
Sic facili Chriſti nutu cito pulſa faceſſet
Hæreſis, & proprio victa furore cadet.
Diuiſum regnum nam deſolabitur, inquit,
Quam pater haud plantat plantaq́; vulſa perit.
Deniq́; (quid vobis rem pluribus explico claram?)
Flatu Antichriſtum deſtruet ille ſuo.

45 Chriſti Crucifixi ad peccatorem ſermo.

CVr age deſperas peccatis territus vllis,
Nec veniam facilem corde gemente rogas?
Quam potes, aut debes ab amãte timere repulſam,
Cui tua (crede) magis, quàm tibi chara ſalus?
Te dubitas quod amem? veracibus edita chartis
Quæ promiſſa tibi, quæ benefacta legas.
Si nondum credis, fixum me reſpice fixus,
Cernitur in toto corpore ſculptus amor.
Has mihi tu plagas, hãc mortem infligis acerbam,
Te tamen innumero crimine læſus amo.
Nec te odiſſe queo, niſi te ſic oderis ipſe,
Oblatam vt ſpernas prorſus amantis opem.
Indignatur amor peruerſo pectore ſpretus:

Parcit, & omne bonum præſtat amatus amor.

46 Eiuſdem ad hęreticum.

NE veſane meum tibi pollicearis amorem,
Me nec amare putes, ni mea iuſſa facis.
Nec veniam, nec opem, nec vera chariſmata ſperes,
Ni ſponſæ aſtiteris, parueriſque meæ.

47 De bona hominis volũtate ad Chriſtum.

PArce meis, ô Chriſte precor mitiſſime, culpis,
Has fugiam poſthac, iuſtitiámque ſequar.
Quid promitto miſer? nũquam heu promiſſa re-
Quid toties fractam denuo necto fidem? (ſolui.
Parcenti me verò aliquid promittere par eſt:
Factum ſi nequeo, ſpondeo velle meum.
Sed neque velle meum poſſum promittere certò,
Namq́ voluntatem conſequeretur opus.
Quod volo non facio: facio quod nolo, valerem
Dicere, ſi nullam gratia ferret opem.
At tua Chriſte mihi vires cùm gratia præſtet,
Quod nolo haud facio, quod facióq́ volo.
Promitti non ergo poteſt tibi certa voluntas,
Actio promitti ni quoque certa poteſt.
Libera namque mihi licet eſt, nec vana voluntas,
Et modo quid nolim ſentio, quídque velim:
Noſco tamen ſolum quod adeſt, ignoro quod inſtat:
Nunc ſcio velle bonum, nunc ſcio velle malum.
Neſcio ſed qualis ſit deinde futura voluntas,
Quam nimis experior (prô dolor) eſſe leuem.
Ergo quod incertum eſt, tibi nõ promitto futurum,
Præſens quod certum eſt, offero Chriſte tibi.
Et quia non leuis eſt tantũ, ſed & ægra voluntas;

(Nam

Digitized by Google

(Nam cur, ſi valida eſt, irrita vota ſinit?)
Velle bonum, ſeu nolle malum non aſſero planè,
Certius offerri quod reor illud erit.
Chriſte malum volo nolle, bonũ volo velle, ſimulq;
Velle malum nolo, noloq; nolle bonum.
Quæſo voluntatis munuſcula ſuſcipe noſtra,
Et votum, quod das, effice Chriſte ratum.
Atque tuis quanquam minimè reſpondeo donis,
Gratia perficiat quod tua cœpit opus.

48 In Bernardinum Senenſem apoſtatam.

QVod ſeclo hic monachus ſit factus apoſtata noſtro,
An metamorphôſim credimus eſſe nouã?
Occultum immo diu monſtrum mõſtratur apertũ,
Et quàm larua minus vera figura nocet.
Naturam ambitio declarat, hypocriſis artem:
Naturæ vitium permanet, artis abit.
Ambitio ſociam tantiſper hypocriſin optat,
Dum fore procliuem ſperat ad alta gradum.
Aſt vbi ſperatum non præſtat hypocriſis vſum,
Pellitur à furijs, impietáſque ſubit.
Vim facit ambitio, ſpem fallit hypocriſis, iram
Dant furiæ, exitium parturit impietas.
Criminor heu crimen, pœnæ ſed abominor omen:
Omen vt hoc abſit, crimen abeſſe precor.

49 In eundem pharmacopolam factum.

SI quam iſtic ſumi cogebat hypocriſis artem,
Quæ mens, vt fieres Pharmacopola, fuit?
Sed nihil hic aliud quàm Pharmacopola fuiſti,
In ſimili ſimilis nunc erit arte fides.
Pharmaca miſcebas ſtygijs diuina venenis,

Et populo peſtem melle tegente dabas.
Corporibus parces, animis haud parcere ſuetus?
Pharmaca non vendes Pharmacopola mihi.

50 In eiuſdem coniugium.

Te duxiſſe ferunt vxorem, neſcio quorſum,
Coniugij ex cauſis cum tibi nulla quadret.
Viſne voluptates ſolui nunc liber in omnes,
Dum nihil ambitio iam vetat atq; pudor?
Improba ſed fractos exhauſit hypocriſis artus,
Et ſtatue aut larue te facit eſſe parem.
Ridet Hymen cernens thalamis ſilicernia iungi,
Et fugit inſolito tincta rubore Venus.
Corpora (prô facinus) vis iungi mortua viuis?
Contactus horret femina nonne tuos?
At deſiderium prolis te fortè ſubegit
Sacrilegum ante diem mortis adire torum.
O quam blanda tuis lallans dabis oſcula natis:
Terribile his potius mormolyκεῖον eris.
Elumbi, effœtoq; ſeni rurſum vlla facultas
Non ſupereſt votis vt potiare tuis.
Siq; patri natum ſimilem tu gignere poſsis,
Te genium credas gignere poſſe malum.
Ergo quid vxorem ducis? ſolumne requiris
Mulceat vt miſerum blanda puella ſenem?
Iure ſed hec alijs ſe, non tibi nubere cenſens
Zelotipo pœnam, perniciemq; ferret.
Deniq; nil video cauſe cur ducta ſit vxor,
Inſanum prorſus te niſi vt eſſe probes.
Ambitio pridem ſtructa eſt, & hypocriſis, exhinc
Hereſis, & tumide crimen apoſtaſie.
Dignus adeſt operi colophon veſana libido:

Quod

Quod tibi ſit ſenſus reprobus inde liquet.
Tartarus hos celebrat thalamos, & ſulphure fartas
Eumenidum præfert dira chorea faces.

51 In eundem.

AMiſiſti oculos iam lumina vera tuentes,
Auris iam nulla eſt obſequioſa tibi.
Iudicij nares iam defecere, palato
Iam quoque de ſapidis, inſipidisque cares.
Iam tibi præteritæ grauitatis barba reuulſa eſt,
Canities etiam iam veneranda cadit.
Nec dubium eſt, intus quin puteat omne cerebrum,
Os cranij tantum, duritiesque manet.
Quid ſupereſt? totum vt reliquũ velit vxor in ira
Sandalio, aut baculo comminuiſſe caput.

52 De eodem.

SIc Bernardinum aiunt inſanire Senenſem,
Fœmineo vt ſubdat colla ſuperba iugo.
Cur ita? perſuaſũ eſt vulgo quod apoſtata magnus
Magno Antichriſto debeat eſſe pater.
Hunc ſibi deberi reputans Lutherus honorem,
Miſcuit infandos hæreſiarcha toros.
Hoc alij extincto ſpem ſuſcepere relictam,
Vt Stygia in primis Bucerus arte potens.
Hoc quoque ſublato, nunc ducta vxore Senenſis
Ambit idem, tanquam maior vtroque, decus.
Quid ni Antichriſti genitor ſit apoſtata tantus,
A quo Antichriſtus diſcere multa poteſt?
Nam ſi Antichriſtus ficta pietate doloſus,
Et ſignis falſis agmina luſa trahet:
Hic falſis veræ pietatis hypocrita ſignis,

Traxit

Digitized by Google

Traxit in errores agmina multa ſuos.

53 In eundem Senenſem luſorem factum.

BErnardine, nouum non eſt te ludere chartis,
Omnis enim dudum eſt alea iacta tibi.
Ludus hypocryſis eſt, & apoſtaſis impia ludus,
Hereſis eſt ludus, ſacrilega eſtq́ꝫ Venus.
Rem quoque non mirum eſt ludo te perdere, famã
Perdideras ludo, perdideraſq́ꝫ animam.
Immò animas quicunqꝫ ſuas tibi ludio credunt,
Perdis eas: animam non tibi credo meam.

54 In eundem.

TE magis oblectat ludus, quàm cura ſalutis?
Iam tibi nullus erit, ſors niſi ceca, Deus.

55 In eiuſdem metamorphôſim.

EFfrontem quem nũc miraris turba Thraſonẽ
Hic tetricis monachus geſtibus ante fuit.
Ante diu geſsit vilem, tritamq́ꝫ cucullam,
Victus & auſterus, vel ſimulatus erat.
Dum fugit, ecce micant criſpanti pilea penna,
Et chlamydis medias vix tegit ora nates.
Fertq́ꝫ latus ferrum, iam ſola licentia lex eſt:
Pro pietate vigent alea, vina, Venus.
Si metamorphóſeis nunc ſcribat Naſo, priorem
Vendicet hiſtoria hac fabula nulla locum.

56 In eundem Bernardinum.

NE quid nequitiæ tuæ deeſſet,
Bernardine pudor Senenſium, atque
Dirum Chriſtigenûm omnium bidental,

Factus

Factus diceris, antequam perires,
Chartarum improbus aleaq; luſor.
Quid ni? non poteras magis decenter
Errorem indicio tuum notare:
Nam quicquid potuit tibi cuculla,
Et vitæ aſperitas, ſacrúmque munus,
Longa ætate, bonæ ſpei paraſſe
Vt conſors fieres chori beati,
Id totum ſemel alea quaſi vno
Iactu, dum fidei ac Deo rebellas,
O luſor miſerande, perdidiſti:
Nec de luſu aliud lucrum reportas
Præter Tartareæ pyram gehennæ,
In qua dæmonibus, velut cato mus,
Luſum perpetuò dabis cruentum.

57 In hæreticorum incontinentiam.

O Chriſtiani nobiles, ac ſtrenui,
O ſpiritales, immò carnales viri,
Qui (voce Pauli præmonente) ſpiritu
Cœpiſtis; en nunc carne conſummamini.

58 In modeſtiam ab hæreticis inter diſputandum ſimulatam.

HAereticum videas ita diſceptare modeſtum,
Vt Chriſtum cordi falſus ineſſe putes.
Solius ſtudio veri ſe deierat actum,
Vult placidas ſumi, reſtituique vices.
Dum loquor, admoto ſimulat ſe attendere vultu:
Applaudit, quoties biblia ſacra cito.
Dum puto perſuaſum, rogat an non ſentio ſecum.
Immò mihi grates, ſim quaſi fautor, agit.

Rurſus

Digitized by Google

Rurſus vbi errorem rationibus arguo certis,
Ne violem Chriſti dogmata clara monet.
Si clamo, attenuat vocem: ſi exardeo zelo,
Suauiter arridens, ceſſet vt ira, petit.
Denique diſrumpar ſi iuſto angore, quietus
Me quaſi miretur, ſeu miſeretur, erit.
Cauſa liquet. nam ſi non eſſet hypocriſis vna,
Hereſis auderet nulla venire palam.
Simplicibus ſic ille poteſt imponere turbis,
Sed minimè cautos mens ſcelerata latet.
Quippe odiũ, ac rabiem ſatis impia ſcandala prodũt,
Blaſphema cum vel numina voce petat.
Perſpicuum porrò ſtudioſa modeſtia ſignum eſt
Hunc nihil ingenuè, cuncta ſed arte loqui.
Namque pijs cum res moueat tam ſeria zelum,
Ludum ironijs hic facit, atq; ſtrophis.
Hoc licet indicio verſutos noſſe ſophiſtas,
Artis at authorem dæmona talis habent.
Blandus vt ille vafris ſeduxit vocibus Euam,
Simplicia hi prauo corda lepore ligant.
Serpentis caput ergo teri, linguamq; ſecari
Eſt opus: aut ſaltem blanda venena fugi.

59 In quendam de diuinæ electionis certitudine temerè gloriantem.

TV tibi ſecuram ne pollicenre ſalutem,
Electum nec te finxeris eſſe tumens.
Littera mutetur cognominis vna ſuperbi,
Rectius eiectum te vocitare potes.
Namque fores ſuperas pulſans quaſi filius heres
Ceu nothus, ac effrons eijciere foras.

60 Ad

60 Ad eundem.

VIs verам falſamq́; Dei dignoſcere prolem?
Ante datas ſortes hæc tumet, illa timet.
Hæc impunè patrem vult poſſe offendere vinctum:
Illa metus frenum tutius eſſe putat.
Hæc iuuenilis adhuc ſtolido ſe emancipat auſu:
Patris adhuc virga ſe cupit illa regi.
Hæc patris arbitrio ius vendicat omne perempto:
Illa patris ſumma ſpem bonitate fouet.
Hæc alijs ſolum ſe vult regnare repulſis:
Ius commune libens omnibus illa facit.
Iudicet, vtra Deo placeat, qui reſpicit æquus,
Quid teneant iuris filius, atq; pater.

61 In eundem.

LÆdere poſſe Deum te vis, lediq́; viciſſim
Poſſe negas: maior ſcilicet ipſe Deo es.

62 In eundem.

ASſeris hæredem æterno te iudice ſcriptum,
Si codex viſus non fuit, vnde probas?
Spiritus hoc (inquis) diuinus ſuggerit, atqui
Cur non humanum, Tartareumue putas?
Diuina haud ratio, ſed diuinatio planè eſt,
Quoquo te vertas huc miſerande redis.

63 In eundem.

AFfectu ex nimio fingis te iam eſſe beatum,
Theſaurum vt pauper ſomniat eſſe ſibi.
Verum experrectus ſtomacho latrante laborat

Digitized by Google

Certus egeſtatis, ſollicitusq; ſuæ.
Tu fugiens iuſtos ob ſomnia vana labores,
Aeternam (ah) vereor ne patiare famem.

64 In eundem.

VSq; adeò certò electum te dicis, vt vllo
Non valeat caſu læſa perire ſalus.
Cur igitur vitam trahis hic ô ſtulte miſellam?
En gladium, pectus fige, beatus eris.
En laqueum, tibi ſtringe gulam, vel ſume cicutam,
Si leuius mauis mortis obire genus.
Quid tardas? regnum fugis ô electe paratum?
Offendet ſed mors accelerata Deum.
Nugæ: quicquid agas compellitur ille probare,
Si nihil electo prorſus abeſſe poteſt.
Aut igitur certam celeri pete morte ſalutem,
Aut certam (ſi mens ſanior) eſſe nega.

65 In eundem.

QVā ſtultū eſt, hominem (niſi vox diuina reuelet)
Nomen in electis annumerare ſuum.
Sic Deus haud illum, ſed ſe prædeſtinat ipſe:
Quod ſibi promittit, reddat & ipſe ſibi.

66 In eiuſdem arrogantiam.

IVriſperitis arrogare dicitur
Alienum adoptat filium ſi quis ſibi:
Vt filius ſis ergo adoptiuus Dei,
Non arrogare, at arrogari te decet.
Nam iuſta ſolum cum ſit arrogatio,
Iniuſta verò ſemper arrogantia,
Iniuſtus ipſe es, qui patrem arrogans Deum

Ha-

Hæreditatem iam tibi omnem vendicas.
Sic iura lædens, iure ius perdis tuum.
Iuriſperitus non es? atqui neminem
Excuſat iſthac iuris ignorantia.
Rectum arrogandi iura quem dixi modum
Fecere: tu ne feceris præpoſterum.
Adoptionem ſiq; diuinam cupis,
Vt arrogatum, haud arrogantem te geras.

67 In Eccleſiæ Catholicę impiũ cõtemptorẽ.

D*Ira tibi, cum ſis vt Cham, execratio certa eſt,*
Nam matrem rides, riſit vt ille patrem.

68 Ad Chriſtum.

C*Vr tibi mira fides in Centurione videtur?*
En magis extat in hoc mira Thraſone fides.
Te poſſe ille ſibi credit prodeſſe peccanti,
Hic ſibi peccanti poſſe nocere nihil.

69 Ad eundem.

A *Te non poterant fieri miracula pridem,*
Quando incredulitas prodigioſa foret.
Cur non multa facis iam nunc miracula Chriſte,
Credulitas quando prodigioſa viget?

70 In maleviuentem prætextu electionis.

D*Iſceptare piget, te electum dicere poſſum,*
Si tamen electus reprobus eſſe poteſt.
Hoc te, dum peccas, tibi perſuadere neceſſe eſt,
Electus quin ſis ne dubitare queas.
Cælum, terra, Deus potius quam electio nutet,
Omnia nam credit, quæ cupit iſta fides.
Prouidus eſſe Deus ſatis in re noſcitur omni,

Vna

Vna in re magis es prouidus ipſe Deo.
Ille tuam certa fieri vult lege ſalutem:
At tua certa tibi fit ſine lege ſalus.
Sicq́ Deum, ô electe, bonum vis eſſe decere,
Vt tibi te facias eſſe licere malum.
Non equidem inuideo, pulchrè tua cõmoda quæris,
Sed Deus hoc timeo nolit habere ratum.

71 De iiſdem qui ſe electos dicunt.

EXtremo queritur Chriſtus de tempore, tanquã
Nulla ſit in terris inuenienda fides.
Atqui nunc hominis veniat ſi filius: ecce,
Maiorem inueniet, quam velit eſſe fidem.

72 In quendam alium opera bona negligentem.

ELecto cœlum tibi ſperas abſque labore,
Electo ſed non cœlica palma datur.
Ocia nam Chriſtus damnat, dum tollere lectum
Ægroto, inq́ domum mandat abire ſuam.
Tu, quaſi membra tibi ſtupeant reſoluta, ſupinus
In lecto carnis nocte diéque iaces.
Lectum tolle tuum Chriſto mandante leuatus,
Et grato in ſuperam tende labore domum.

73 In Lutheranos ſpiritualia & carnalia iungere volentes.

SSpiritus atq́ caro in vobis connubia iungunt,
Spiritus at carnem ſanctus amare nequit.
Spiritus immundæ carni eſt immundus adhærens,
Gigni incarnatos dæmones inde liquet.

74 De ijſdem ad Iudæos.

AVres arrigite Hebræi, criſtaſq; leuate,
Plaudite, Meſsias iam prope veſter adeſt.
Expectata diu poſſunt iam ſigna patere,
Vt ſimul agna, leo, pardus, & hœdus agant.
Nam quibus extiterat pridem diſcordia maior,
En modo conueniunt ſpiritus atq; caro.

75 De ijſdem.

FRigida ſi calidis concordant, humida ſiccis,
Alba nigris, duris mollia, blanda feris:
Nunquam vſu veniet, conſiſtere poſsit vt idem,
Qui carnalis homo eſt ſpiritualis homo.
Illa quidem natura negat miracula poſſe,
Sed Deus hoc vnum ſe quoq; poſſe negat.
Dedecus aut igitur ponant carnale ſophiſtæ,
Aut ſibi ne tribuant ſpirituale decus.

76 De Lutherano, qui laqueo ſibi mortem conſciuit.

ECce ſibi vitam laqueo Lutheranus ademit.
Cur ita? ſpem miſero ſeuus ademit amor.
O ingrata Venus, Lutheranam ſiccine ſectam
Perdis, amat numen quæ celebratq; tuum?

77 De eodem ad Lutheranos.

CVi nunc è vobis electio certa futura eſt?
Certus & hic, vt vos, ſed reprobatus erat.
Dicitis, electus quod erat fortaſſe, valénsque
In patriam felix accelerauit iter.
Credo per exemplum: nam Chriſto electus Iudas

Digitized by Google

Dicitur, & ſimili clauſit honore diem.
Electi, certiq́ue omnes vos eſtis vt ille:
Accelerate igitur tale ſalutis iter.

78 De eodem.

ISte ſibi certam perſuaſerat eſſe ſalutem,
Cum magnum huic ſectæ ſit dubitare nefas.
Suſpenſus moritur, ſuſpenſus viuere nolens:
Viuere ſuſpenſum me volo, nolo mori.

79 De eodem.

OMnibus, hic calidos anceps dũ ſpiritus artus
Cingeret, interitu prodigiumq́; fuit:
In terris viuens etiam calcabat Olympum,
Nec moriens cælos, ceu neq; tangit humum.

80 In fidei ſolius confidentiam.

INiuſtos eſſe atq; reos vos ſemper, & ira
Suppoſitos, tanquam dæmonas aſſeritis.
Anxietas vobis ſit nulla, probetis vt iſtud,
Annuo ſponte, nihil clarius eſſe videns.
Sed Chriſtum quod peſtifera iactantia vitæ
Compellat iuſtos vos reputare, nego.
Chriſtus erit, niſi ſic confiſos ſeruet, iniquus?
Sic niſi confiſos perdat, iniquus erit.

81 De nomine proteſtantium.

NOmen tenetis iure proteſtantium,
Seruare iura velle proteſtamini.
Ecquid ſibi vult iſta proteſtatio,
Niſi quod perire velle proteſtamini?

82 In Bernardini Ochini mortem.

Sedi adeò infenſus Romanæ Ochinus abiuit,
Vt nulla huic requiem terra propinqua daret.
Allobrogum fineis, Germanorumq́; pererrat,
Nec requietus adhuc regna Britanna petit.
Orcadas atq; Gothos, Arctonq́; petiſſet, & ipſos
Antipodas, nec dum forte futura quies.
Parca ſed inſanum miſerans, breuiánſque laborem,
Ad ſtygium potius compulit ire lacum.
Credo equidem centrum Ditis penetraſſe ſub imum,
Plus vt ab inuiſo diſsitus hoſte foret.
Sat iam Ochine tibi ſedes Romana remota eſt;
Ne dubita, magnum eſt inter vtrumque chaos.
Reſpirare potes ſtomacho nunc ergo remiſſo,
Perpetua, & quam dat Pluto, quiete frui.

83 Ad Lutheranos de ſuis epigrammatis.

Pvtida ſunt vobis mea carmina? rectè habet: at qui
Digna magis vobis putidiora forent.
Materia hæc adeò nam fœtet, vt orta cloacam
Vix tactam cogat nauſea iam fugere.
Veſtire ac putridos mallent mea carmina ſcombros,
Sordibus in veſtris quàm pudefacta legi.
Augeæ hoc ſtabulum eſt, cuius nec tollere fœces,
Fœtorem Alcides nec tolerare queat.
Eſt ſtabulum iſtud, vbi iumenta in ſtercore (ſicut
Verba Iohelis habent) computruere ſuo.
Ite, in ſtercoribus iumenta putreſcite veſtris,
Obſtructis aliò naribus ipſe ferar.
Si quod ab hinc carmen librat mihi ſcribere, quiddā
Suauius (vt ſpes eſt) vtiliúſque canam.

84 De conductitijs concionatoribus, ad Lutheranos.

FAma eſt apud vos, res & ipſa comprobat,
Eccleſiaſtas eſſe conductitios,
Venale verbum qui Dei circunferunt.
Sed occinetis, quod ſit & apud nos frequens.
Non diffitemur: intereſt vnum tamen,
Venire merces hic bonas, iſtic malas.

85 Aliud.

EGregiè nunquam de Chriſto, & lege boatis,
Sit niſi ſtagnanti mens temulenta mero.
Verba Dei templo melius caupona propinat,
Hoc cauponari eſt (vt puto) verba Dei.

86 In ponentes animæ mortalitatem.

MOrtalē eſſe animā vultis? magis eſſe voletis,
Supplicium mortis quando perenne dabit.

87 In Doletum.

NIl hominis præter famam ſupereſſe putaſti,
Et ſtudium, vt fieres clarior, omne fuit.
Quàm benè ſucceſſit. famoſus namq; Doletus,
Inter Chriſticolas ethnica ſcita probans.
Sique parum vixit clarus, clariſſimus ille eſt
Mortuus, vt magnæ flamma coruſca pyræ.

88 Ad eundem.

MOrtales animas gaudebas dicere pridem.
Nunc immortales eſſe Dolete doles.

Digitized by Google

89 De ſpiritu Ochini mortui.

CVm temeto truncans animam ſimul efflat Ochinus
Dæmona: res dictu eſt horrida, vera ſed eſt.
Vxor enim cum ſtaret hians morientis ad ora,
Dæmone ſuſcepto mox ruit acta foras.
Coniugis (exclamat) transfuſus ſpiritus in me eſt,
Spiritus at dæmon proprius eius erat.
O mulier fœlix nimis, & dilecta marito,
Cui moriens tantas ille reliquit opes.
Nam ſolido ſi non heredem ex aſſe reliquit,
Præcipua hæc certè portio facta tua eſt.

90 De eodem.

HÆreticis viuis propria eſt poſſeſſio dæmon,
Poſtea hic extinctos poſſidet hæreticos.
Siquis in hoc pacto nimium cenſebit iniquas
Temporis exigui perpetuíque vices,
Immò vafer dæmon viuos quoque poſſidet illos,
Quos rapit arbitrio crimen ad omne ſuo.
Hiſque ſatis veluti iumentis vilibus vſus,
Præbet auernalis pabula læta ſoli.

91 Κατὰ τοῦ Ἀρείου.

Καὶ σὺ λάσκεις χριστοῦ προδότης ὢν μᾶλλον Ἰούδα,
Ἄνδρα προδοὺς κεῖνος φαίνετο, καὶ σὺ θεόν.

92 In Arrium.

IVre crepas Christum prodis qui peius Iuda,
Ille hominem viſus prodere, túque Deum.

93 De concionatore Lutherano apud Germanos.

Conductus (vt ſit) publico ſtipendio
Eccleſiaſtes Lutherani dogmatis,
Totus vacabat crapulæ ac libidini.
Quem cum monerent quod parum eſſet efficax
Obſtante vitæ fœditate, concio:
Quid (inquit) ad me? qualis aut iniuria eſt,
Vt vultis ipſe ſi loquar, viuam vt volo?
Vobis loquelam, non meam vitam loco.

94 Ad eundem.

O Stulte, mores dum tuos quidam monent
Mutare, vel clam ſaltem ijs inſiſtere,
Cur non petiſti (quod merebaris magis)
Duplici vt duplex ſtipendium officio darent?
Id iure debent, quippe doctrinam malam
Probare vita non niſi mala conuenit.
Dignum patella ſic ſuum eſt operculum.
Tu cælibatum voce, tu ieiunia,
Tu ſanctitatem denique omnem reprobas,
(Siue error huc te, ſiue quæſtus impulit)
An non apertò te ergo ſcortari decet,
Et crapulari, perditéque viuere?
Sic (teſte Paulo) pro labore duplici
Honore dignus duplici es, ac ſtipendio.

95 Ad Petrum a Cittadella decaſtichon.

TE nimis (ah) puro Phœbi, Chriſtíq; carentem
Lumine detinuit Petre petræa domus.
Te ſibi perpetuum dæmon fore dixerat atrox
Mancipium, ſtygiæ participemq; pyræ.

Quin

Digitized by Google

Quin etiam heretici ſua dogmata praua ſolebant
Exitio leti conſtabilire tua.
Sed miſerans Chriſtus ſuperis te reddidit auris,
Vt clarum accipias diſtribuásque iubar.
Confuſis ergo hereticis, ac dæmone luſo,
Fac monitis fugiat quiſque pericla tuis.

96 Ad Lutheranos, de eodem.

VOs alium vobis errorum quærite teſtem,
Pro vera hic potius vult pietate mori.

97 Ad Petrum Ramum de excuſione Prutinarum quæſtionum.

QVando hunc excudi voluiſti Rame libellum,
Cur Stephani celebres non placuere typi?
Te puduit: nam in fronte cadens ex arbore ramus,
Ne ſapias altum, Rame, cadáſque, monet.

98 In obtrectatores, & maledicos.

OBtrectant aliqui nobis, ipſiq́, tacemus:
Factis, non dictis ſe ſchola noſtra probat.
His etiam ex animo fœlicia cuncta precamur,
Conſiliumq́, bonum, (ſi placet) ecce damus.
Vincere nos ſtudeant: erit hoc certamen honeſtum,
Vtile, iucundum, candor & ipſe iubet.
Ingenuæ gaudent ſyncera pace Camœnæ,
Præcipuè Chriſti ſi pius adſit amor.
Sit ſemel hoc dictum: quod ſi maledicere pergant,
Damna ſibi; nobis emolumenta parant.

99 In Lutheri nomen a lyra deductum.

CVm nomen lyra det tibi Luthere,
Cur quæſo lyricus poëta non es?

Cur tandem tragicus magis poëta es,
Scenam terribili replens tumultu?
Hei nobis, utinam tragœdus eſſes,
Et caſus hominum graues priorum
Perſonis ſimulantibus referres.
Sed veram potius, nimiſque diram
Ipſis materiam paras tragœdis.
Quantum nec puto fabulæ, nec ullæ
Præbent hiſtoriæ omnibus theatris:
Nam [illegible] veneres, iocóſque tales,
Odas tam lepidas, ſacráſque epôdas,
Et conuiuia tam faceta cantas.
Plectro percutiens lyram proteruo:
Turbatos animos ut audientum
Reddas, & ſtolido furore plenos.
Hinc pugnæ horribiles, nefas & omne,
Quantum nec Lapythæ ebrij tulerunt.
O quàm digna fuit ſtatim, priuſquam
Mundo incendia tanta ſuſcitaret,
Hæc flammis lyra prouidis cremari!
Nunc ardet Stygia (ſcio) in gehenna:
Sed non (prô dolor) ille ceſſat ignis,
Quem Luthere lyra tua excitaſti,
Quanquam non erit, ut tuus, perennis.
Et quanto grauius, perenniúſque
Flagrabit, grauius flagrabis uſque.

100 In eundem.

TEmporibus priſcis fuit admirabilis Orpheus:
Temporibus noſtris tu magis eſſe potes.
Ille quidem ſyluas, & ſaxa, feraſq; trahebat,
Cui lyra, ſermo ſagax, ſcitaq; iura, fides.

Saxonas.

Digitized by Google

Saxonas, Alpeſtréſq; homines trahis atq; ferinos;
  Cui lyra blanda caro eſt, illecebræq; fides.
Quid dico? omnigenos homines hac allicis arte.
  Luthero unde lyra nomen habere quadrat.
Hoc unum ſed grāde tibi eſt diſcrimen & Orpheo,
  Mens quia non eadem: tu malus, ille bonus.
Ille dabat placidas tractis mortalibus ædes:
  Tu miſeros tecum tartara ad ima trahis.
Laudandus merito eſt Orpheus, damnabilis ipſe es;
  Immò es damnatus, quódque mereris, habes.
Orphea & illeſum cum Pluto remiſerit orbi,
  Perpetua vinctum te ditione tenet.
Carnales, ibi pulchrè ageres, ſi dæmones eſſent,
  Adq; tuam fieret læta chorea lyram.
Ad gemitum ſaltant, magis inſidiantq; gementi,
  Ipſius agnoſcunt ſed benefacta lyræ.
Innumeráſque quia hæc animas ad Tartara ducit,
  Tartareis certant te cumulare bonis.

101 In eundem.

CArminibus Circes animantia bruta feruntur
  Ex miſeris olim facta fuiſſe viris.
Porrigit inſignis veracem fabula ſenſum,
  Cuius & exemplum tempora noſtra vident.
Circeum quid carmen erat, niſi fœda voluptas?
  Quæ brutis homines aſſimilare ſolet.
Hic lupus, ille aſinus, canis unus, bubalus alter,
  Suúſve ſit, aut ſerpens, bellua cuíque ſua eſt.
Mentior, hoc niſi ſit manifeſtū authore Luthero,
  Carmina qui Circes, atque venena refert.
Sed mutans alios Circe immutata manebat:
  Se philtris primùm mutat at iſte ſuis.

Non

Nec ſatis eſt, omnis fuerat quod bellua factus,
Inſuper in verum dæmona verſus erat,
Nec Deus ipſe valens iam dæmona ferre ſuperbū,
Præcipitem, ſocium Luciferóque dedit.

102 In Bernardinum Ochinum.

OChinus non illepidè appellaris ab Ocha,
Anſer enim patriæ dicitur Ocha tuæ.
Eſt animal vecors anſer, cerebriq́ſ ſiniſtri:
Putidius cerebro nil reor eſſe tuo.
Abſonus argutos interſtrepit anſer olores:
Inter doctores ſic ſtrepis ipſe ſacros.
Deniq́ſ quicquid habet vitij damnabilis anſer,
Hoc tibi cum ſimili nomine peius ineſt.
Ille ſuam curat vigilans de nocte ſalutem;
Stertis in errorum peſte, iacensq́ſ peris.
Non te Ochine pudet, quod es Ocha vilior? Ocham
Sed te affine ſibi nomen habere pudet.
Romanæ aſſertor ſedis pius extitit ille;
Romanæ ſedis proditor impius es.

103 In cęteros.

HAereſiarcharū quid nomina cætera pingā?
Sufficit in ſtygijs ſcripta patere libris.
Sic miſeris parco. ſed maior pœna ſuperbis,
Vel ſic non ſatrapas inter habere locum.

104 In Moriam Eraſmi.

NE quiſquam tibi plagiariorum
Fœtus ſubripiat tuos Eraſme,
Scriptorum facis indicem tuorum;
Et rectè facis: attamen videris
Fruſtra ponere Moriam inter illa,
Quæ miris ſalibus, facetijsq́ſ

Mor-

Mortales, ſuperos, prophana, ſacra
Irrides: ſapit hæc Eraſmianum
Quàm pulcrè ingenium, ſtylum atq; naſum:
Perfecteq; ſuum refert Eraſmum.
Non eſt quod timeas Eraſme, non eſt,
Ne quis vendicet hanc ſibi impudenter:
Nam quiſquis benè iudicare norit,
Dicet, quod tua moria eſt Eraſme.

105 In eundem.

VT Rhadamãthæū ſtetit ãte tribunal Eraſmus,
Anne ioco ſcribens, ſeriò damnor? ait.
Cui iudex: libri dant ſeria damna iocoſi:
Si tibi culpa iocus, ſit tibi pœna iocus.

106 In Lutheri aſſertionem de neceſſitate concubitus.

NOn ſecus atq; cibo, potu, ſomnoq; leuari,
Eſſe & concubitum cuiq; neceſſe putas.
Hanc natura negat ſe legem humana tuliſſe,
Et falſam exemplis pluribus eſſe probat.
Ne vitium ergo tuum naturæ impinge coacta,
Te ſibi mancipium ſueta libido facit.
Quin etiam natura licet violentior adſit,
Vincere naturam gratia nonne poteſt?
Nam fieri Eunuchos regni cœleſtis amore
Chriſtus ait: Chriſto credimus, anne tibi?
An quia te monachū nil clauſtra aut vota iuuabant,
Nequitiæ & cedit gratia ſpreta tuæ:
Vis tibi, vis monachis, vis cuilibet eſſe neceſſe
Quod facis excuſſo turpe pudore ſcelus?
Quid ſi (quæſo) minax capiti, quando vrere, ſtultis

Immi-

Digitized by Google

Immineat, nec tum continuiſſe vales?
Immo, age, vis fato fieri mox liber ab iſto?
(Nam ſenio, ac ſtudio non Venus apta tuo eſt).
Scandali vt Origines cauſam præcide: videbis
Non fore, quod clamas eſſe neceſſe tibi.

107 In Lutheranos.

AStrologi terris proprios tribuere Planetas,
Vnde ſuus populis mos geniuſq; fluit.
Neſcio qui regnent alia regione Planetæ,
Hoc ſcio, Germanis Marſq; Venuſq; vigent.
Barbara gens bellis, ac ſeditionibus ardet:
Ardet & inſanis luxurioſa toris.
Nec noua res, Venerem pariter cũ Marte morari,
Notus adulterij quos ſociauit amor.
Mulciber ignipotens dormis? dent denuò pœnas
Retibus impliciti Márſque, Venúſq; tuis.
Priſcæ nec, vnde queant euadere, vincla recudas:
Ignea fac potius Mulciber, vnde flagrent.

108 In Lutheri cum diabolo familiaritatem.

TE Luthere ſalis modium cum dæmone dicis
Ediſſe, aſsiduus quippe ſodalis eras.
Non mirum quod lingua tibi ſit acuta, dicáxque,
Plenaq; blaſphemo ſint tua ſcripta ſale.
Dæmonis ingenium, mores animumq; tuliſti:
Deniq; tu dæmon, non homo verus eras.
Nẽ fruſtra ergo ſalis modius cõſumptus vtriq; eſt:
Priſcus amicitiæ ſed fuit iſte gradus.
Notitia inter vos, & conſuetudo profectò
Magna fuit: quanto maior at illa modo eſt?
Hoſpitio dudum excepiſti dæmona grato:

Pro-

Prodigit & menſæ fercula lauta ſuæ.
Siq; ſalis modium conuiuans ederis olim,
Innumeros vt edas, & ſatiere dabit.
Nouit enim quod ſalſa libens tuceta vorabis,
Suauis vt ebiberes pocula plura meri.
Nunc tibi propterea tam ſalſas ingerit offas,
Tantaleam infœlix vt patiare ſitim.
Plena quidem largo tibi pocula porrigit hauſtu,
Potus at igniflua ſunt Phlegetontis aquæ.
Hoſpite nunc dulci veterique fruaris amico,
Communis modios enumerando ſalis.

109 In eundem.

DAemonis antiqua dum conſuetudine iactas
Te Luthere frui, res ſine teſte liquet.
Gignit amicitiam ſimilis mens atq; voluntas,
Vos ſimiles animo, vos ſtudiéque pares.
Quippe laboratis diuinam euertere legem,
Et coniuratam mutuo fertis opem.
Illius ex voto tu ſancta cariſmata tollis,
In quibus eſt hominum certa locanda ſalus.
Ille tuo ex voto vitiorum ſcandala conflat,
Vt ſubeat maſſam plebs agitata tuam.
Hoc duntaxat obeſt, veri ne ſitis amici,
Quod ſibi diuerſum fixit vterq; ſcopum:
Tu præſentis enim ſpectas ſolatia vitæ,
Vt poſt te innumeros ad tua vota trahas:
Ille ſed æternæ ſpectat ſolatia mortis,
Vt tecum innumeros ad ſua tecta trahat.
Si tibi amicitiæ placet huius pactio, per me,
Sed ſine me, placita ſorte fruare licet.

Digitized by Google

110 In eiuſdem dogmata planè diabolica.

Luthero temere eſt impacta calumnia, tanquam
Authori hereſeos: demonis at propria eſt.
Nam benè, quæ ſcribit Lutherus dogmata ſi quis
Penſitet, hinc verus cognitus author erit.
Ferre ſibi gratas fingamus demona leges,
Non alias, quàm fert hereſis iſta, feret.
Vult homines demon merito confidere Chriſti
Vſque adeo, vt credant deinde neceſſe nihil.
Sic pietas, ſic relligio, ſic omnia ceſſant
Subſidia, vnde poteſt certior eſſe ſalus.
Sacramenta ruunt, fruſtra eſt labor atq; voluntas:
Conficit electis omnia ſola fides.
Hac vafer arte facit duo ſumma pericula demon,
In quorum alterutro quemq; perire iubet.
Nam ſi te electum credis, præſumptio Scylla eſt,
Quæ quaſi ſecurum fauce patente vorat.
Sin minus, vt reprobum te deſperatio, tanquam
Horrificis ſorbet ſæua charybdis aquis.
Sic igitur Scyllā hinc, ſic collocat inde Charybdim,
Vt nullam inuenias inter vtramq; viam.
Si quis at euitet, reliquas vix hereſis vndas,
Sirenum illecebras, tot ſcopuloſq; cauet.
Denique tot demon pandit diſcrimina, quot ſunt
Crimina doctrinam ſigna ſecuta malam.
Qualis apoſtaſia eſt, blaſphemia, ſchiſma, libido,
Impietas: quod non hinc ſcelus, atq; nefas?
Ne quis & auxilio iam naufragus enatet apto,
Præripit huic tabulam, quam Metanœa dedit.

Digitized by Google

Adde indignantem non demona poſſe fideles
  Poſt mortem ſolitis illaqueare dolis.
Quos purgantur adhuc vetat à viuente iuuari,
  Quóſque beatorum ſuſcipit ordo, coli.
Denique quid demon expiat, nolitq́; recenſens,
  Ordine Lutheri ſingula ſcripta tenes.
Vel Luthero igitur dictauit dogmata dæmon,
  Lutherus dæmon fortè vel ipſe fuit.

111 In temere ad eius doctrinam accedentes.

Quid ô miſelli exiſtis horridum in locum
Expertem cuncti (quale eſt deſertum) boni
Cupidi videre? nempe vento arundinem
Agitatam inanis artis, & ſuperbiæ.
Sed quid videre exiſtis? hominem mollibus
Veſtitum, & omni carnis affectu obſitum:
Solent vt eſſe qui domos regum terunt.
Sed quid videre exiſtis? vt iam finiam,
Nunquid Prophetam quempiam? imò verius
Pſeudoprophetam: hic eſt enim de quo poteſt
Ad Antichriſtum dicere Orcus; Ecce ego
Ante faciem tuam angelum mitto meum,
Qui præparabit ante te viam tuam.
Dico ergo vobis, peior inter omnium
Natos mulierum nemo quod ſurrexerit
Hoc dogmatiſta. Qui ſed in regno eſt minor
Cælorum, id eſt, in orthodoxa Eccleſia,
Illo melior eſt, ſi qua comparatio.
Quare licet quis Chriſtum adeſſe dixerit
In monte, deſertóve, ſeu quouis loco,
Vos ô fideles Chriſtiani credere, aut

Digitized by Google

Exire tota, ut velitis à domo.

112 In eiuſdem Lutheri operationem.

QVid de tam celebri par eſt ſentire magiſtro?
Nunquid Apoſtolus eſt? dignior hui nimio:
Vix docuit totum biſſenus Apoſtolus orbem,
Solus hic (ut monſtrant cœpta) docere poteſt.
Sed ratio eſt diſpar operis. Nam tempore paruo
Deſtruitur longo ſtructa labore domus.

113 In eiuſdem arrogantiam.

VIx ſoluendo tibi eſt Chriſtus, tantum tibi (debet,
Officijs iactas quem reparaſſe tuis.
Officioſus homo Chriſto Martine fuiſti,
Omne tuum ſtudium cui fuit officere.

114 In eiuſdem miſsionem.

QVis te maiorem Patriarchis atque Prophetis,
Immo ſimul ſanctis omnibus eſſe neget?
Martyr enim nullus te, nullus Apoſtolus æquat.
An temerè hoc iactas? credo probare potes.
Nam reliqui expectant mandata ſuprema mini-
Iuſſa Dei longè grauior ipſe preis. (ſtris

115 In eandem miſsionem.

QVi verbum cæleſte ſcrit, ſit miſſus oportet:
Ne ſere: te miſſum namque fuiſſe negant.
Publicè me (dicis) miſit, princepsq; poteſtas:
Hoc, quæcunq; placent prodere iure licet.
Eſto, poteſtati liceat miſiſſe prophana,
At Chriſtum nullo prodere iure licet.

116 In eandem.

NOn Luthere poteſt hæc miſsio iuſta probari,
Quæ pretio magni muneris ēpta tibi eſt.
Nam bona tu dominis tribuiſti ſacra prophanis.
Eſt Simoniacum, miſsio talis, opus.
Iam ſcio, quid dices, pretium non eſſe vocandum.
Quando tuum nil das, miſsio iuſta fuit.

117 In eandem.

SAcrilegis ditas proceres Martine rapinis,
Vt tibi ſacrilegos fas ſit habere toros.
Téne iniuſtitiæ falſo accuſare quis audet?
Contractus libra iuſtus vtrinque pari eſt.

118 De rapina bonorum eccleſiastico-
rum in eundem Lutherum.

LVtherus clerum accuſat de diuite cenſu,
Principibus quem vult, iudicibúsq; dari.
Lis agitur: clerus titulos allegat auitos:
Sed vincit iudex, & bona cuncta rapit.
Omnia Cyclopi ſic iura citabat Vlyſſes;
At prædam ridens non minus ille vorat.
Sic obiecta ſibi quamuis bene crimina purget
Cortis auis; vulpis non tamen ora fugit.
Quod tibi conſuleres neque te Luthere fefellit:
Nam ſtatus hac conſtat proditione tuus.
Sic canis āte lupum pecudem accuſabat inermem:
Damnatæ hic artus, vellus & ipſe refert.
Fabula cùm moneat iuſtis audita dolorem:
Quis dignus, dum res cernitur iſta, dolor?
Síq; dolent iuſti externam ſpectare rapinam:

 Ab bo-

Digitized by Google

Ah bona plus doleant interiora rapi.
Mundano pariter clerus, ſtygioq; tyranno
Venditur, & partem nouit vterque ſuam.
Nulla ſit inter eos contentio: dicit hic illi,
Da mihi tantum animas, cætera tolle tibi.
Nec tibi condignum pretium negat emptor vterq;,
Flagitijs vitæ ſeruijt ille tuæ.
Hic verò tibi nunc reddit poſt funera regni
Præcipuas ſedes, deliciasq; ſui.

119 In eiuſdem miſsionem.

LVtherum à Chriſto compellor credere miſſū
Eius vt aduentum, iudiciumq; paret.
Hic etenim, quia Chriſtus oues diſtinguet ab hæ-
Iam diſtinguendos curat vtroſq; greges. (dis,

120 In eundem Apoſtatam.

NOn præter cauſam quæ vouerat iſte reliquit;
Ceſſerunt votis priſtina vota nouis.

121 In eundem de pœnitentia.

POenituiſſe mali cur vt liceat mihi non vis?
Viſq; tibi vt liceat pœnituiſſe boni?

122 De Continentia.

NVllum poſſe putas ſibi imperare
Vt linquat Veneris ſalacis vſum,
Perſuaſum vtq; ſit axioma poſcis.
Hoc nos credere poſſumus perinde
Vt tu, moribus ex tuis; modò, vt tu,
Vnumquemq; putemus æſtimandum.
Nam qui non Veneri repugnat vnquam,

Sed

Digitized by Google

Sed ſemper cupit, ambit, vrget illam,
Viuens molliter atq; delicatè,
Plus carnemq; Deo, & ſalute curans,
Caſtè viuere nunquid ille poſsit?
Stat Luthere tibi tuum axioma.

123 De eadem.

H*Aud vitare valet Venerem ſimilis tibi: ſicut*
Non ardere nequit, ſiquis in igne manet.

124 In eiuſdem impuritatem.

D*Vm ſtomachans loqueris, merda eſt tibi ſemper in ore:*
Merda ſit ac vtinam ſemper in ore tuo.
Os ea ſi loquitur, quibus & cor abũdat (vt author
Certus ait) cor erit quanta latrina tuum?

125 In matrimonium eiuſdem.

C*Onnubio Martine tuo quid ſanctius vſquã eſt?*
Tu monachus monacham ducis: vterq; ſacer.
Cùm ſit vterq; ſacer, duplici ſacra copula iure eſt.
O thalamus fœlix! ô venerandus hymen!
Sed queritur Chriſtus tolli ſibi ſacra: quid inde?
Ambo ſacrilegi, copula ſacrilega eſt.

126 In eiuſdem ſuperbiam.

T*E puduit monachum breuiori nomine dici:*
Longius hæretici nomen habere cupis.
Longius vt ſit adhuc, vis hæreſiarcha vocari.
Non ſatis eſt? faciam ſeſquipedale tibi.
Nomine ſat longo Archipſeudopropheta voceris,

Digitized by Google

Hoc etiam ad faſtum ſit breue, credo, tuum.

127 In eius iactantiam.

TE ſeruum domino vocas fidelem,
Qui ſponſam illius vnicam columbam,
Vita ipſa quoq; nempe chariorem
Auſu contemerare vis nefando?
Te ſeruum domino voca infidelem,
Aut hoſtem magis, atque proditorem,
Quo Iudas minus execrabilis ſit.
Sed quo nomine vis fidelis eſſe?
An Chriſto quia gloriam paraſſe
Multa fraude videris ampliorem,
Damnatis meritis, pijsq; rebus?
Electis quaſi pauculis ſalutem
Inuitis etiam det, atq; firmet
Nulla ob crimina prorſus auferendam?
Cunctis at reliquis pyra perennis
Diram conſtituat neceſsitatem,
Vt monſtret ſibi quanta ſit poteſtas?
His Luthere modis Deo atque Chriſto
Laudem ſcilicet addis ampliorem,
Qualem nec ſibi vendicauit vnquam,
Vnquam nec ſibi conuenire duxit.
O ſeruum domino nimis fidelem.

128 In eandem.

TE ſeruum Domino dicis Martine fidelem,
Et verum dicis: ſed Sathanas Dominus.

129 In Lutheri poteſtatem.

QVē Deus hoc poſuit căpo, ſum ſignifer ille
Primus ego (tumida voce Lutherus ait.)

Cœlitus

Cœlitus ampla quidē eſt Luthero indulta facul-
Nec talem Paulo credo fuiſſe datam. (tas,
Vt namque ædificet Paulo datur ipſa facultas:
Luthero ut contrà deſtruat ecce datur.

130 In eiuſdem Babylonem.

CVi te contulero veterum Luthere Gigantum,
Qui cælum ſtructis impetiêre iugis?
Iapetum, Enceladum, Caum, atq; Typhoëa præ-
Nemrodum, mens eſt æquiparare, prais. (ſtas:
Robuſtus venator erat; robuſtior illo es,
Qui plures prædas viq; doloq; capis.
Erigere in cælum priſcam Babylona volebat;
Erigere in cælum vis Babylona nouam.
Exitus idem operis quamuis ſit vtriq; futùrus;
Principium certè fortius ipſe facis.
Pro ſaxis lateres pro calce bitumen habebat:
Saxa at viua tibi, calx quoq; viua tibi eſt.
Saxonia inſtruxit ſaxis te barbara viuis:
Carnis amor calx eſt viua, tenaxq; nimis.

131 In aſtutiam eiuſdem.

INgenium Martine tuum laudare neceſſe eſt,
Imperium ex humili quo tibi ſorte paras.
Non tamen exemplo celebri Martine caribas:
Conflauit tantas ſic Mahumetus opes.
Illius illecebris Arabum gens barbara capta eſt,
Gens Germanorum barbara capta tuis.

Digitized by Google

132 In eius ſanctimoniam.

TE tua ſecta facit ſanctũ: Chriſtúſne vetarit
Hoc ſanctum canibus, iuſſerit anne dari?
Iuſſerit? imò dedit, nec præda perennibus extis
Tartareos paſcit gratior vlla canes.

133 In eundem volentem deum eſſe etiam peccati authorem.

EST Deus (vt dicis) non rarus criminis author.
Si Deus eſt author criminis, ergo reus.
Si reus eſt, debet meritas exoluere pœnas
Tanquam homo, qui crimen vi ſubigente facit.
Vel pœnas igitur ſcelerum debere tuorum
Ferre, vel iniuſtum dixeris eſſe Deum.
Væ Martine miſer, blatereſq́; crepeſq́; licebit:
Eſt æterna Deo gloria, pœna tibi.

134 In eundem.

DIc Martine precor (ſed vera fatere precanti,
Me ſtupidũ vt pinguem Saxona nolo putes)
Quæ nam prima tui, vel maxima cauſa furoris,
Vt dirum hæreſeos aggrederere ſcelus?
Hæreticum mox te, furioſumq́; eſſe reclamas?
Incipis à falſo cùm manifeſta neges.
Quidniſi tartareum ſpiras, efflaſq́; furorem.
Quid niſi ſecta tua eſt, hæreſis eſſe poteſt?
Quos homines dici hæreticos audiuimus vnquã,
Catholicam niſi qui deſeruere fidem?
Ergo tace: mendax verum nam ſpiritus odit:
Quod volo, te tacito res ſatis ipſa docet.
Carnalis fueras ſemper, ſemperq́; ſuperbus.
Hæreſin, ac vitium fecit vtrumque tuum.

Digitized by Google

Arcta videbatur clauſtri nam regula carni,
Nec poterat vilem faſtus amare domum.
Sic in apoſtaſiam præceps ruis, inde cubile
Sacrilegum, & ſcelerum quodlibet addis opus.
Vtque aliquod tua nequitiæ velamen haberet,
Lex reprobata tibi priſtina, facta noua eſt.
Nempe Euangelicæ ſub libertatis amictu
Plauſibili ſarcis, ac tegis omne nefas.
Verum quicquid agas facies tua factio forte
Vt lateat: facies non tamen vt liceat.
Cum tua lex immò & ſit vera licentia carnis,
Iuribus inuitis hac ratione licet.

135 In eiuſdem dogmata quædam.

ANnon malitia eſt impudens nimis, ſcelus
Peculiare ſi quod eſt malum tibi,
Commune cunctis ac neceſſe ponere?
Vt eſſe iuſtum neminem dum prædicas,
Vel poſſe turpi Veneris abſolui iugo,
Bonúmque facere opus iuuante gratia.
Iniuſtus es tu, nec boni quicquam facis,
Malíque multum: tu libidinoſus es,
Toro & nefando filios ſimiles patris
Producis: eſto, ſi fateri non pudet,
Si gloriaris, téque iactas, & beas,
Fœlicitatem nactus vt gratiſſimam;
Cur iſta cunctis prodigus communicas?
Paterfamilias eſſe ſi frugi cupis,
Fac parcior ſis, quod tuum eſt ſeruans tibi,
Tuiſve ſolum ſimijs impartiens,
Hoc eſt ſceleſtis, impijs, apoſtatis,
Qui lege carnis chariorem non habent,

Digitized by Google

Et dulce munus obuia rapiunt manu,
Dantique grates cordibus totis agunt.
Annon perinde munus hoc cunctis placet?
Nobiſne mores tribuis inuitis tuos?
Illiberalis liberalitas tua eſt.

136 In diabolicam eiuſdem crudelitatem.

AVdieram gurges uini quod maximus eſſes,
Et tibi quod fuerit ſemper amata Venus.
Neſcieram ſed te humanum ſitiſſe cruorem,
Quódq; feritantus Martis amator eras.
Nunc ſcio: déque tuis rabies patet eruta verbis;
Mens licet euentum non ſit adepta parem.
Non ſatiabor (ais) talos quin merſerit altè
Chriſtigenûm exundans vaſta per arua cruor.
Spiritus (haud dubium) cuius tu filius, ille
Impleuit tali cor pietate tuum.
Ille cupit cum Chriſticolis qui perdere Chriſtum,
Quiq; à principio mox homicida fuit.
Ni ſitis optato tua ſit ſatiata cruore,
Nunc phlegethonteis eſt ſatianda vadis.
Sique tuo noſtros non tingis ſanguine talos,
Iuſtorum lætas at lauat ille manus.

137 In eundem de lege facienda.

QVid Chriſtianam perfidus legem abrogas,
Quam nec facis, nec facere cæteros ſinis,
Et ſanctitati vertis impium nefas?
Sub lege non ſum, dicis, at ſub gratia.
Ænigma dicis, quod neque Oedipus, neque
Sphinx talium author fraudulenta ſoluerit.

Age,

Age, quæſo, monſtrum Sphinge fraudulentius,
Quis eſſe rectè dicitur ſub gratia?
Si dicta Pauli, *ſiue Chriſti penſites,*
Qui nempe legem ſponte diuinam facit,
Et non coactè, vulgus vt Iudaicum,
Cui fræna pœnæ ſolus addebat timor,
Mercedis ac ſpes ludicra calcaria,
Vt legis ægrè ſemitis inſiſteret.
Timore, ſpéq; fortior ſed gratia,
Sed charitas eſt deuiare non ſinens,
Præſtat volente perfici legem gradu.
Si Chriſtianus igitur eſſe vis bonus,
Non ſub timoris eſſe te, ſed gratiæ
Sub lege dicas. Si quis at cum Belial
Sub lege non eſt, is nec eſt ſub gratia.

138 De eadem.

SErmone miſſo longiore te libet
Breui ſophiſta ſyllogiſmo ſtringere.
Sub lege non es: ergo legem non facis.
Qui porrò legem non facit, damnandus eſt.
(Authore Chriſto, teſtibuſq; Apoſtolis)
Sub lege non es, ergo tu damnandus es.
Hunc ſyllogiſmum non vales euadere,
Damnationem longè at euades minus.
Quòd ſi cauillis, vt ſoles, ſophiſticis
Inſtes, quod iſta falſa ſit concluſio:
Concluſionem Pluto *conficit tibi*
Sic euidentem, ſic ineuitabilem,
Vt non cauillis ſit locus ſophiſticis.
Sed fortè ſi quis eſſe falſam dixerit,
Tu teſte ſenſu diceres veram nimis.

Digitized by Google

139 In eandem.

ME miſerum, ſtultumq́; nimis, qui diſputo tecum,
Et ſub lege Dei te temerè eſſe probo.
Viciſti, fateor: palmam tibi cedo; nec hiſco,
Luminibus fuerat lux hebetata meis.
Non ſub lege Dei es, lex ſub te eſt, tu ſuper illam,
Qui facis vt placitis ſeruiat illa tuis.
Nec temere inuitum legi te ſubdere conor.
An prohibere volo, quod Deus ipſe ſinit?
Hoc prædico tamen certũ, quod ſi qua relicta eſt
Legiſlatori iuſta poténſve manus:
Lex modo ſub cuius præceptis eſſe recuſas,
Sub pœnis deinceps te volet eſſe ſuis.

139 In eiuſdem ſcurrilitatem.

IN reges, Papamq́; latrans, ſanctosq́; magiſtros
Effundis merdas ſpurce Luthere meras.
Anne tibi ſapiens adeò fortaſſe videris,
Quod præter merdam nil tua lingua ſapit?

140 De eius authoritate.

POntificem Luthere preis æquáſve ſupremũ:
Diuiſo imperio gaudet vterq́; tamen.
Namq́; illi eſt regni cælorum tradita clauis:
Regni infernorum clauiger ipſe venis.
Ille ſolet dignis cæleſte recludere limen:
Tu facis infernas cuique patere fores.
Ille obduratis ſubeant ne ſydera claudit:
Claudis at ingreſſis Tartara ne redeant.
Magna quidẽ eſt, at ſic differt vtriuſque poteſtas,
Imperi-

Imperium ut differt dæmonis atque Dei.

141 In Lutherum, & Oecolampadium de Euchariſtia.

INter Lutherum & Oecolampadium grauis
Ac belluina ſæuit altercatio:
Hic eſſe corpus Chriſti in Euchariſtia
Negat: latere pane corpus abditum
Affirmat ille, ſemper & panem putat.
Huius nefandum eſt crimen, illius leue,
Si comparentur ambo. nam tantummodo
Chriſtum Lutherus arguit mendacij,
Qui dixit eſſe, quod dabat, corpus ſuum.

142 In Oecolampadium iam mortuum.

VT dogma falſum in Euchariſtiam probes,
Interpretaris verba Chriſti callidè:
Nam Chriſtus ipſe, Hoc (inquit) eſt corpus meum.
Tu verò, ſignat corpus, exponis, meum.
Quis Grammatiſta ſcholia te aut gloſſemata
Tam bella docuit? Euge commentum elegans,
Solers, acutúmq; ac tibi percommodum,
Si poſsit alter hoc modo exponi locus:
Cùm nempe Chriſtus de infero dicat lacu,
Quod fletus illic, ſtridor eſt ac dentium:
Dic eſſe tantùm ſigna, non rem, ſi ſapis,
Perſuaſus vllum te dolorem non pati.
Quod ſi dolorem hunc eſſe verum ſentias,
Et corpus illud eſſe verum fac putes:
Eſt vtrobique ſermo quam ſimillimus.
Vnum negare non potes? nec alterum:
Debes profectò plurimum inferno lacui,

Qui

Digitized by Google

Qui (quod nequibat turba doctorum & fides)
Interpretari verba Chriſti congruè,
Et veritatem ſcire te irriſum facit.
Hoc tu magiſtro fruere ſemper, & vale.

143 In Caluinum de die Dominico in diem Veneris transferendo.

VVlt transferre diem Caluinus ab ordine feſtum,
Quem Domino aſſcribens hebdomas omnis habet.
Vtque dies Veneris tali potiatur honore
Facta inter ciues ſeditione iubet.
Vtere Caluino Germania tota magiſtro,
Sit licet inſanus, non ratione caret.
Tu domine Veneri dominum poſtponis Ieſum,
Iure huius feſtum vendicet illa ſibi.
Hoc verbis perſuade igitur Caluine, vel armis.
Si Veneri faueas, Mars tibi fautor erit.

144 In Lutheranos de feſtorũ abrogatione.

CÆtera cum veſtra ſint dogmata commoda carni,
Cur feſtum nullum vultis habere diem?
Nonne dies omnes præſtabat ponere feſtos?
Namque operum vobis eſt inimica fides.
Vah, timui fruſtra veſtra hæc diſpendia carni,
Conſulit hic etiam, conſtat & illa ſibi.
Vos opera oblectant dominæ ſeruilia carnis,
Non quibus eſt feſti ſanctificanda dies.
Hac ratione dies omnes decet eſſe profeſtos:
Et feſtum nullum vultis habere diem.

145 In Gebennenſium & Bernenſium cō-
tentionē de feſto natalis Domini.

Diſſidium eſt ingens inter Lernā atq; Gehēnā
(Sic proprium eſt urbi nomē vtriq; ſuum)
Hec natalitium domini vult tollere feſtum,
Hunc ſed adhuc ritum mordicus illa tenet.
Cur ô Lerna, tuam potius non perficis Hydram?
Non capitata ſat eſt, hoc quoque iunge caput.
Natalem domini merito violabitis omnes
Heretici: haud vobis naſcitur ille puer.
Deſiit & merito celebrari paſſio vobis,
Quos piget ærumnam ferre, crucisq; pudet.
Ore triumphantem pleno laudatis at illum,
Abſq; labore quibus gloria certa placet.
Nemo poteſt Chriſti ſed participare triumphos;
Ni comes à cunis fiat ad vſque crucem.
Erro. etiam vobis fas participare triumphos,
Hoſtis at vt vinctus participare ſolet.
Hoc ergo vnanimes vt cætera tollite feſtum:
Ite alacres vt vos veſtra gehenna trahit.

146 De bello inter Anabaptiſtas,
& Lutheranos geſto.

Mars Anabaptiſtas, Lutheranosq́; cruentus
Commiſit dudum, longáq; pugna fuit.
Namq; herebat, vtris ferret victoria palmam,
Cum neutris belli cauſa probata foret.
His ſimplex, illisq; duplex baptiſma, ſed vnum
Tam iuuat hos, illos quam duo: nempè nihil.
Par erat vt caderent omnes vtrinque cohortes:
Chriſtum

Digitized by Google

Chriſtus & vt ſponſa bina trophæa daret.
Vnum ſed placuit Chriſto ſupereſſe flagellum,
Noſtra quod excutiat crimina, deinde flagret.

147 Ad Catholicum curioſum.

HEus tu, qui patulas nouis magiſtris
Aures arrigis, audiénsque Chriſtum
Hic emergere redditum, vel illic:
Iam circumſpicis huc eas, an illuc,
Vt prædam canis emicare cernens:
Ne tu præcipites flagrante curſu,
Nec fidæ ſtationis ex Aſylo
Quoquam dimoueas pedem refixum,
Donec proſpicis, an migrationis
Secura eſt via, terminusq́ue fœlix.
O quàm ſæpe ſuo columba nido
Incautæ euolat, & vagans per auras
Sæuos accipitrum experitur vngues!
Vis dem conſilium breue ac fidele,
Vt falli nequeas? vides vt iſti,
Qui Chriſtum ſibi clamitant repertum,
Inter ſe varijs opinionum
Certant litigijs, nec vllus ijſdem
Conſtans dogmatibus ſuis inhæret:
Sed vel quæ docuit repente mutat,
Commentis vel ea explicans doloſis,
Sic duram miſer obligationem
Euitare putat, ſubinde dictum
Abſurdis temerarium ſecutis.
Præſtolare igitur parumper, hoc eſt,
Tantiſper ſua ſenſa dum coaptent
Omnes vnanimes, ſibique conſtent,
Vnde Eccleſia fiat vna demùm,

Qualis

Qualis Catholica eſt & Orthodoxa.
Hoc ſi conſilium ſcies tenere,
Te nunquam hæreticum ſcias futurum.

148 In mores Lutheranorum.

EST Epicurea ſchola par Lutherica ſectæ:
Sed non Luthero par Epicurus erat.
Nam licet illecebris hominem velit eſſe beatum,
Stoicus interea moribus ipſe fuit.
At bonus iſte ſibi verbo exemploq; magiſter,
Conſonus illecebris ſéque ſuosq; beat.

149 In Lutheranorum dogmata.

QVid prohibes ſummi ſacroſancte vicarie Regis
Hæreſiarcharum reproba ſcripta legi?
Atqui ego nec lectis illis depromere poſſem
Erroris quicquid flagitijq; tenent.
Namque Epicuream ſtatuentes degere vitam,
Quod facit huc aiunt, oppoſitúmq; negant.
Lex igitur cùm præcipuè diuina reclamet,
Dogmata perſpicuum eſt impia cuncta ſequi.

150 In libellum eorundem, qui inſcribitur doctrina noua, & vetus.

NOſtra noua eſt, & veſtra vetus doctrina, fatemur:
Hæc hominis veteris, ſcilicet, illa noui.

151 In eoſdem iactantes apud ſe eſſe Apoſtolicam Eccleſiam.

HÆreticos quoſcunq; rogē, ſua ſecta ſit unde,
Mox ad Apoſtolicos uſque remittor auos.

Iuſto

Digitized by Google

Iuſto ſed improbior. Quæ ſyncopa facta, quòd an-
Mille & quingentis nullibi viſa fuit? (nis
Eſt inuiſibilis (dicunt) eccleſia. credo,
Quam nec homo, nec ſol, nec Deus ipſe videt.

152 In eoſdem.

PRopria ſecta fuit Chriſto hæc? ſe iactet & Orcus
Cognatum ſummo continuumq́ue polo.

153 De eadem ipſorum eccleſia.

ESſe hi penes ſe iactitant eccleſiam,
Vbi impiorum congregatur factio.
Eccleſiarum ſi ſit appellatio
Communis omni congregato cætui,
Sua eſt & ipſis inferis eccleſia.

154 De fornicatione.

NOn in ſimplice fornicatione
Peccatum fieri putatis vllum?
Hoc mirum mihi neutiquam videtur,
Cùm nec ſacrilega velitis eſſe
Peccatum Veneris magis nefandum.
Immò ſat ſcio, vos & hoc, & illud,
Et quodcunque nefas, libenter ingens
Dicetis meritum, niſi impediret
Vos præiudicium illud vltro factum,
Quo prorſus meritum negatis omne.
Sed quamuis meritum negetis omne,
Hoc vnum tamen interim fatendum eſt,
Quod, laus eſt vbi fornicationi,
Illic copia magna ſit merendi.

Illic

Illic & numerus frequens merentum.
Hoc ſaltem meritorium profectò
Vobis reſtat opus: nec eſt negare.

155 In coniugium Sacerdotum.

NImis eſt apud nos vile matrimonium,
Cui cœlibatum ſcilicet præponimus,
Et cuius vſum clericis nullum damus.
At cœlibatum quando ei poſtponitis,
Chriſti, atque Pauli deſtruentes dogmata,
Nimis eſt apud vos vile matrimonium.
Dúmq; approbatis, vt ſacerdos perfidus
Terna, & quaterna ducat vxorem vice,
Magis eſt apud vos vile matrimonium.

156 Aliud.

ESſe ſacerdotẽ te vis ſimul atque maritum,
Non potes: officio parce marite ſacro.
Appellatus enim ſacra eſt à dote ſacerdos:
Dote cares ſacra, dóſque profana tibi eſt.

157 In ieiunia Lutheranorum.

REſpuitis certis ieiunia iuſſa diebus,
Arbitrio veſtro vultis & illa ſini.
Si liceat, penitus ieiunandum eſſe negetis:
Nam ventri, ac auidæ lex grauis iſta gulæ eſt.
Sed quia frugalis laudat ieiunia Chriſtus,
Præfinit certos nec tamen ipſe dies.
Vos adeò incertis ieiunia veſtra diebus
Traditis, vt nullus nouerit illa dies:

158 In precationes eorundem.

QVis vidit vnquam (nemo vel cæcus puto)
Ex Lutheranis, qui precaretur piè,

F Non

Non dico ſanctos, quos abhorret; ſed Deum?
Sic multiloquium quando nobis exprobrant,
In nulliloquium proprias vertunt preces.
Precamur (aiunt) clandeſtinè & intimè,
Verum eſt: nec audit vos Deus, nec aſpicit.

159 De meritis bonorum operum.

HÆretici damnant meritò merita omnia. Quare?
Nec meritũ, nec opus quo mereantur, habent.
At ſcelera extollunt: cur hoc? quia propria ſemper
Laudari, vt ſperni merx aliena ſolet.

160 Aliud.

QVid mirum eſt, meritum quod vos omnino negetis?
Nec meritum eſt vobis, iure nec eſſe poteſt.
Nam duo cum nequeant iungi contraria: vobis
Eſſe ſimul nequeunt demeritum ac meritum.

161 Quod ſola fides non iuſtificet.

SOla fides vos iuſtificat ſeruatq́; beátque:
Nullus ad iſta labos, actio nulla iuuat.
Sola fides adeò ſi conficit ardua vobis,
Commoda cur itidem non leuiora dabit?
Deſinite ergo cibis vaſtos diſtendere ventres:
Nec grauet attonitum crapula ſueta caput.
Multa nec abſumãt ſiluas hypocauſta propinquas,
Verna det vt vobis tempora bruma tepens.
Neu labor augendis opibus, rebusq́; gerendis,
Néve gubernandæ cura ſit vlla domus.
Stertite corporibus noctesq́; diesq́; ſupinis:

Sed nec

Digitized by Google

Sed nec opus ſomno, nec decet vlla quies.
Omnia ſola fides hæc ſuppeditabit abundè.
Quid foditis nares, quid ſcabitisq́ue caput?
Quid pallet facies? fidei vis ecce labaſcit,
Nec caro vult caſum veſtra probare leuem.
Hoc tentare Deum fuerit, mihi dicitis: ohe,
Cur tentare Deum non magis illud erit?
Sola fides niſi det breuioris commoda vitæ,
Non dabit æternæ munera ſola fides.

162 De electione & reprobatione.

ELigit (aſſeritis) Deus hos, & reprobat illos,
Arbitrio cœlum dans Erebumq́ue ſuo.
Nam facere ex maſſa figulus quoque ſordidus vna
Vas ignominiæ, vas & honoris habet.
Hoc ego ſic Pauli nequaquam intelligo dictum:
Sicq́ue exponendum Paulus & ipſe neget.
Prô ſcelus: inſontes cruciat Deus igne perenni?
Si Deus hoc faciat, ſe negat eſſe Deum.
Nec mihi priſcorum culpam recitate parentum:
Si Deus ijs parcit, non ſoboliq́ue magis?
Haud humana ſinit, nedum diuina, paternas,
Iuſtitia, vt pœnas pignora ſola luant.
Reſpondere Deo ſed non licet? immò liceret.
Non ſentit pœnam vas, ideoq́ue tacet.
Sed quid in obſcura locus hic nos detinet vmbra,
Dum radians veri lux aliunde micat?
Audio quippe Deum clementi voce monentem,
Quod patris haud noxam filius ipſe feret.
Scripturas torquete ſacras, ſaxum omne mouete,
In propriam culpam propria pœna cadit.
Diuinam impietas pietatem veſtra quid aufert?

Digitized by Google

Forte poteſt, vt vos, impius eſſe Deus?

163 De iiſdem expoſitio loci Pauli.

SI libet hæretici, genuinum diſcite ſenſum,
Eſſe Deum figulum quomodo dixeritis.
Arguit Hebræos Paulus, qui credere Chriſto,
Electos & ſe poſſe perire negant.
At (docet ille) Deum non ſic electio ſtringit,
Quo minus ingratos perdere iure queat.
Vaſa ſed ante diu licet iræ obnoxia iuſtæ,
Aptaq́ ad interitum ſuſtinuiſſe ſolet.
Securos igitur ne vos electio reddat:
Nam dubia electi conditione ſumus.

164. De iiſdem.

ESſe pium vobis electis dicitis, at ſic,
Impius vt reliquis debeat eſſe Deus.
Eſt pius in natos pater optimus ille, ſed hoſteis
Perdere natorum præ pietate ſolet.
Et cum peruerſo quoniam peruertitur, in vos,
Credo, vel in nullos impius eſſe poteſt.
Talis at impietas pietas eſt maxima, per quam
Subuenit illa pijs, impia turba perit.

165 De eodem errore.

ESſe bonum, iuſtúmq; Deum nō forte negatis,
Sed male diuiſum vultis vtrumq; Deo.
Innocuos facitis damnare, beare ſceleſtos:
Sic foret iniuſtus, ſic foret ille malus.
Veſtra Deum pugnare iubet vecordia ſecum,
Vt ſimul huic probitas, improbitáſq; quadret.

166 De

166 **De eodem.**

SI Deus immunes proprij veriq; reatus
Dat ſtygijs flammis, Lucifer eſto Deus.

167 **De eodem.**

CErta ſit vt vobis electio veſtra proteruis,
Millibus innocuis vultis Auerna dari.
Dic age (communis ſupereſt ſi qua vncia ſenſus)
Hæretice iniuſtum non facis eſſe Deum?
Tu ne patri parces lædenti, & pignora cædes?
Tu malus haud faceres, quid Deus, euge, bonus?

168 **De eodem.**

VIs ſatis eſſe patris dānanda ad pignora crimē
Hæretice, at nondū, quod cupis, inde tenes.
Protoplaſtus enim eſt ſolius corporis author:
Proprius eſt animæ ſed Deus ipſe pater.
Sola igitur pœnas infantum corpora pendunt,
Vel peccatorem feceris eſſe Deum.
Nec peccaſſe Deum tantum cogêre fateri;
Sed iudex etiam prorſus iniquus erit.
Cur ſibi namque reus parcit, punitur & inſons?
Impius hæretice es, nemo vel eſſe poteſt.
Quis ſatis exclamet blaſphema inuectus in ora?
Noueris at iudex quod Deus æquus erit.
Te manet ex proprio non crimine pœna paterno:
Si qua tamen natis culpa paterna nocet.
Iure tuos natos tua tecum ob crimina perdet,
Exemplo perdis quos prior ipſe malo.

De eadem electione.

ELectione prorſus immutabili
Vos vultis omnes eſſe filios Dei,
Chriſtiq; fratres, & cohæredes, quibus
Cæleſte regnum ſit paratum, ac proprium.
Electionem neſcio veſtram, ſcio
Quod veſtra pennis ſecta virtutum caret,
Quibus volanti peruium cæli eſt iter:
Fluxas ſed alas Icari ſuperbi habet,
Quibus reuulſis in profundum corruit.
Si vultis ergo præpete, ac certo gradu
Hæreditatem regni adire cælici:
Eia age, relictis deuijs erroribus,
Pennisque partis ad volatum congruis,
Rectà ſupernos in penates tendite:
Aut ne velitis amplius quod non licet.
Diſcrimen etſi voce paruum eſt, re tamen
Inter volentes, & volantes maximum.
Vt ergo voci vox, rei res conſonet:
Voletis vt decet, voletisq; vt decet.

170 In Hæreſim.

AEdibus in ſuperis iã pridẽ cœna parata eſt,
Atque inuitatos turba miniſtra vocat.
Seſe excuſari reſponſo ſupplice poſcit,
Emit qui villam, vel iuga quinque boum.
Tales Catholici, vitijs qui grandibus & ſi
Offendunt numen, ne flagret ira, rogant.
Qui verò vxorem duxit, quaſi re bene geſta,
Nil ſeſe excuſat, nil veniæque petit.
Tales hæretici, carnis qui vota ſequentes

Non

Non culpam agnoſcunt, ſe magis immò beant.
Si Deus arcendos cœna iurauerit omnes,
Suntq́; poli clauſa prorſus vtriſq; fores:
Flagitij diſcrimen vt eſt hos inter, & illos,
Diſcrimen ius eſt ſic fore ſupplicij.
Sin aliqua ille minas ſub conditione reliquit,
Illos quærit adhuc, hos Metanœa fugit.
Cur igitur vitijs certa indulgere voluntas,
Nullaq́; tutandæ cura ſalutis erat?
Catholico, non hæretico ſitus ordine peccet:
Nonne voluptates ſunt vtrobique pares?
Immò voluptatem rabies adiuncta minorem,
Et maius crimen, ſuppliciumq́; facit.

171 In impudentiam eorum.

TE ſanctum in quouis deprehenſus crimine iactas:
Vel nullam frontem, vel meretricis habes.
Immò meretricem veterem, lenamq́; puderet
Dicere, virgineus quod ſibi conſtet honos.
Tu te virginibus confers, præfersq́; ſacratis,
Quis tibi, ni qualis dæmoni fortè pudor?
Sed victus dæmon fertur pudefactus abire:
Tu conuictus adhuc probra minasq́; iacis.
O frons digna nimis ferri candente corona,
Vt tegat hanc ſaltem fuſus ab igne rubor.

172 In Hæreſim.

QVo pacto hæretici vincendi? eſt hæreſis ignis:
(Luxuria, ira, odium, viſque nociua probãt)
Abſorptus maiore perit minor ignis ab igne:
Aut extincturis mergitur ignis aquis.

Ah nimis aucta minas omnes incendia temnunt,
Si fugimus, ne nos concremet ille, ſat eſt.
Tandē Styx, Acherō, Phlegetō, Cocytus, Auernus,
Tartarus huic finem vim per utranq; dabunt.
Hæreſis ignis at eſt ſtygia ex fornace gehennæ,
Perpetuam in ſtygio viuere credo lacu.

173 In bonorum ſpiritualium contemptores.

DElicijs animas Eccleſia paſcit opimis,
Nam cadere huc micas cœlica mēſa ſinit.
Cur miſer hæreticus faſtidit, & improbat illas?
Quærere de multis hac ratione licet.
Dulcia cur æger, temetumq; abſtemius horret?
Balnea cur aſinus, ſus & amaracinum?
Fercula guſtarunt qui ſpiritualia nunquam,
Rident veſcentes, quiſquiliáſq; putant.
Grata ſed obſcœnæ laudant conuiuia carnis,
Quæ ſapit huic, illis eſca ea ſola ſapit.
Nos dapibus noſtris, proprijs veſcantur & illi:
Cúmq; libenter edant ſtercora, ſemper edant.

174 De impietate in Eccleſiam.

REddidit impietas famoſū horrēda Nerone,
Quòd matrem diro iuſſerit enſe fodi.
Innumeri, en, ſurgunt, maternáq; viſcera nati
Vt Nero confodiunt, impietate pari.
Maior at impietas hæc impietate Neronis,
Quo melior mater matre Neronis adeſt.

175 De

175 De primatu Romanæ ſedis.

Pontificem hæretici quã vellent tollere ſũmũ,
Secta citò victrix, palmaq́ certa foret.
Nam velut imparibus diffidens viribus hoſtis
Torquet in aduerſum plurima tela ducem:
Omnis ita iſtorum Romanam machina ſedem
Impetit, vt capta iam nihil arce tremant.
Eia negant Petrum donatum hoc munere, vel poſt
Hunc alios, Romam vel ſubiiſſe Petrum.
O aries validè noſtratia mœnia pulſans,
O teſtudo ferox, ô catapulta grauis!
Non ſecus ac ſtipulas vibrans ẽneruis arundo
Poſſit Arachneas vix terebrare domos.
Dicite, iura Petro qui tradita ſumma negatis,
Vnde Petri nomen, ni petra Petrus erat?
Si petra Petrus erat, ſuper hanc Eccleſia petram
(Ni Chriſtus mendax) ædificata fuit.
Si porrò hæc ſteterit ſolius tempore Petri:
Illicet inferni præualuere fores.
Nunquam vt præualeant fore ſed promiſit Ieſus:
Perpetuum ſupereſt, ceu Petrus, ergo caput.
Iam niſi Roma Petrum vidit (monumẽta ſileo)
Quam dat ei Chriſtus vos reperite crucem.
Sed reperire crucem vos hic magis æſtimo veſtrã,
Qua non blaſphemus tam latro dignus erat.
Vos igitur pugnare Deo ne pergite fruſtra:
Namq́ Deũ, haud homines, factio veſtra petit.
Perdidit hæreticos omnes ſacroſancta poteſtas,
Hæc quoq́ ſub pedibus vos, Sathanámq́ teret.

Digitized by Google

176 De ſanctis doctoribus, & Paſtorum dignitate.

HÆretici ſacros taxant reprobãtq; magiſtros:
Vis audi ut laudent ora canina lupi?
Paſtorum ratione pari pia munia damnant,
Vt lacerent raptos abſq; timore greges.
At nunquam deerunt paſtores, ſpero, nec apti
Latratu, ac morſu damna vetare canes.
Ac tandem inferno poſitos in gurgite, iugi
Mors depaſcet eos vulnere, ſicut oues.

177 In Eccleſiæ catholicæ contemptores.

QVandoquidem vobis eccleſia vera negata eſt,
Quæ prohibet verum cauſa negare Deum?
Ni libeat matrem, nec patrem agnoſcere par eſt.
Quo matrem ergo negas iure, negato patrem.

178 De templis deuaſtatis.

IMproba funiculis commercia Chriſte fugaſti,
Diuina zelo te comedente domus.
Zelus & hos comedit longe diuerſus ab illo,
Qui ſpoliant ſacras, dilapidantq; domos.
Nulla volunt monumenta tui diuûmq; tuorum:
His caupona magis, proſtibulumq; placet.

179 De inuocatione ſanctorum.

NOn inuocandos eſſe ſanctos dicitis,
Vos ſanctiores omnibus ſanctis rati,
Deóq; familiariores filios,
Quicquid libet ad interpretandum protinus.
Vtq; indicetis quanta differentia eſt.

Vos

Vos eſſe viuos vultis, illos mortuos.
O digna linguis impijs ſententia!
At ille qui ſe patriarcharum Deum
Mandat vocari (teſte Chriſto) non Deus
Eſt mortuorum, ſed magis viuentium.
Hac deinde vita mors vocanda eſt rectius,
Præſertim iniqua, criminoſa, & impia,
Vt veſtra prorſus. Quid quod iſti mortui
Poſt ſunt breui veſtri futuri Iudices,
Boniſq; vita ſempiterna præditi
Vos ſempiternæ mortis addicent malis.

180 De imaginum veneratione.

QVod Chriſtus oro, quódve ſancti tam graue
In Lutheranos perpetrauerunt nefas,
Ipſas eorum vt nec ferant imagines?
Sed crimen iſtis potius eſt cauſa impium
Ingratitudo, qua beneficia ex eis
Accepta tanta, támque multa & lucida,
Signis remotis illa ſubnotantibus
Obliuioni tradere indignæ ſtudent.
Cultúmq; nolint cum impium rependere,
Hunc exigentes exigunt imagines.

181 De reliquiis ſanctorum.

INuidus humanæ ſerpens vetus ille ſalutis,
Obſtat ad extremum perſequitúrq; diem.
Quid faciat ſanctis clauſtrum in cœleſte receptis,
Cui ſuper aëriam non licet ire plagam?
Vt Leo, quem fugit conſcenſa rupe viator,
In ſpolia infrendens forte relicta furit.
Sic animas dæmon ſpectans ſuper aſtra beatas:

Corpo-

Corpora, vel cineres, oſſáq; ſacra terit.
Hæreticos ad crimen habet furiale miniſtros,
Relliquias diuûm qui laniare iubent.
Pro tali officio quæ dæmon præmia ſoluet,
Perpetuò lacerans hos niſi dente voret?

182 In regem Angliæ & de iiſdem.

PRæſulis egregij cineres diſperdis, & oſſa,
Aſſeruit dira qui ſacra iura nece.
Non poteras ſigno maiore probare, Tyrannus
Quod proauo peior, ſchiſmaticuſq; fores.

183 De peregrinationibus.

NOn loca ſancta petūt iſti, ridéntq; petēteis,
Nec ſanctos faciunt, nec loca ſancta pili.
An peregrinandi pro relligione laborem
Suſcipient, quibus eſt illa moleſta domi?
Siq; domi ſanctis etiam viſantur ab ipſis,
Viſentes ſpernent, eijciéntq; foras.

184 De iiſdem.

NIl opus externas vobis errare per oras,
Plus ſatis errorum patria ſola dabit.

185 De iiſdem.

INuiſa vobis eſt peregrinatio,
Quæ Chriſtiani templa diuorum pij.
Chriſtiq; viſunt & colunt veſtigia;
Sed grata vobis eſt peregrinatio
Varijs peregriniſq; doctrinis data,
Quæ vos profundū ad vſque Tartarum trahit,
Cœleſtis unde patriæ iam nulla ſpes

Reſtat

Digitized by Google

Reſtat videnda. Veſtra vobis, ſi lubet,
Et noſtra nobis ſit peregrinatio.

186 De ijſdem.

NOs peregrinantes ſanctas ridetis in oras,
 Gaudet vbi Chriſtus, diuáq; turba coli.
Vos peregrinantes prauas miſeramur in oras,
 Prodigus omnis vbi luxurioſus agit.
Prodigus at porcos, glandéſq; peroſus, amantem
 Longinqua repetit de regione patrem.
Vos regio longinqua tenet, vos paſcere porcos,
 Vos ſiliquis paſtos patre carere iuuat.
O peregrinantes miſeri, qui tenditis illuc,
 Spretus vbi æterno vos cremet igne pater.

187 In eoſdem iactantes apud ſe eſſe Apoſtolicam Eccleſiam.

QVod vera vobis adſit Chriſti Eccleſia
Hoc argumento fortiter probabitis,
Aduerſus illam quippe res certiſſima eſt
Non præualere poſſe portas inferi.
Si námq; regnum ſtare vult Sathanas ſuum,
Pugnare ſecum, vincat vt pars, non ſinit.
Sed porta magna eſt inferi hæc eccleſia;
Non ergo pugnant, ſed fauent huic cetera:
Peccata nam ſunt hæreſi iuncta omnia.

188 In Anabaptiſtas, de vxorum communitate.

COmmunes vobis vxores eſſe feruntur,
 Impingi falsò cenſeo tale nefas.
Coniugium eſt, dum carne duo ſocientur in vna,

Et

Digitized by Google

Et ſoboles certum nouit adulta patrem.
Vxores vobis non ſunt, dicantur amicæ,
Quas ita communes omnibus eſſe licet.
Sed cùm nemo libens aliјs concedit amicam,
Ergo meretricum nomina vera ferant.
Gratis at (obijcitis) præſtant, & nulla meretur:
Nomine ne careant, ſcorta vocare decet.
Haud noua res igitur communia ſcorta teneri,
Commune eſt vobis hoc, aliiſq; nefas.

189 In eoſdem.

OMnia ſunt vobis communia ſicut amicis:
Laudo quod expoſita participentur opes.
Vxores verò dum proſtituuntur & ipſæ:
Hoccine amicitia eſt? non puto: luxuria eſt.

190 Aliud.

BAptiſmus pueris non abs re iteratur adultis,
Quos baptizatos neſciat eſſe pater.

191 Aliud.

VOs duo confertis ſoboli baptiſmata veſtræ,
Vt purgent crimen bina lauacra vetus.
Sed Chriſtum eſſe Deũ, caſtáq; ex matre negatis:
Non purgent crimen mille lauacra nouum.

192 In eoſdem.

DEnuo progeniem dum baptizatis adultam,
(Impietas micam ſi pietatis habet)
Mergere ne libeat ſolum, ſubmergite prorſus:
Illinc pernicies, hinc mage certa ſalus.

193 In eoſdem.

QVæſtio mota fuit, repetitis anne lauacris
Fit baptiſmus aqua tantũ, an & ignis adeſt.
Sentio vtrumq; dari (ſua ſit ſententia cuique)
Dat lympham hæreticus, dæmoniúmq; pyram.

194 Aliud.

VIm gerit ingentem Baptiſmi lympha ſecundi.
Quomodo? lymphatos, quos rigat illa, facit.

195 In eoſdem.

ESſe poteſtatem procerum, regúmq; negaſtis,
Hanc anabaptiſmus porrigit ipſe fidem.
Agnita ſed falſum conuicit dogma poteſtas,
Qua veſtri centum millia cæſa gregis.
Heus oculos proceres, regéſq; recludite clauſos:
Hæc confutandi dogmata praua, via eſt.

196 In Turcas & hæreticos.

QVid Turcæ, hæreticíque faſtuoſas
Criſtas arrigitis? Quid intumetis?
Ac illuditis anxium popellum,
Quem rex aſtrigeri ſupremus orbis
Caſtigare volens ſibi rebellem,
Vobis vtitur, vt pater flagellis
Nati crimina puniens amati.
Vobis, ſi ſapitis, magis timete,
Inuiſis magis, atque reprobatis;
Nam qui vos tenet, erigit, mouétque,
Et corroborat hactenus furentes:
Iam iam dextra potens ſuperbientes

Spernet,

Digitized by Google

Spernet, proijciet, teretq́ue & uret,
Nulli quandoquidem uſui futuris,
Eſt finis proprius flagrare flagris.

197 De lege Hæreticorum.

SVb nulla heretici dicunt ſe viuere lege,
Lex nulla eſt, vbi lex cuique libido ſua eſt.
Legibus arcetur vitium, virtusq́ue iuuatur,
Diſplicet his virtus, his vitiumq́ue placet.
More ſuo viuunt ſtimulis, frænisque remotis;
Si queat, indomitus ſic quoque viuat equus.

198 De eadem.

SVb gratia, & non lege te eſſe prædicas,
Vtrumque verum dicis, hoc ſenſu tamen:
Sub lege non es, cuius excuſsis iugum:
Infernus vtque eſt cœlica ſub gloria,
Cui non propinquas, ipſe es & ſub gratia.

199 In ſacramentarium.

VEl Chriſtus ipſa veritas mentitus eſt,
Vel vt ſupremo eſt ipſe iudicij die
Præſens futurus, eſt in hac quoque hoſtia.
Nos educantis ergo qui Chriſti negas,
Te iudicantis fac neges præſentiam.

200 De ſacramento Confirmationis.

QVod ſacramentum ſit confirmatio, nolant
Monſtra hominũ, virtus vnde ſuperna datur.
Nam confirmari diuino pneumate nolunt,
Carnis opus poſsint quo minus omne ſequi.

201 De

201 De cauſa hæreſcos.

Cvr adeo, tanquã ſit res monſtroſa, mouentur
Catholici, heretici qui manifeſta negant?
Non moueor, ſi vel terram cœlumq́; negetis:
Ac ipſum, niſi vos laudet & ipſe, Deum.
Cur non diſpliceant placitis contraria veſtris?
Nam placitum par eſt cuiq; placere ſuum.

202 De Miſſa.

Cvr miſſam facitis Miſſam, vanámq; putatis,
Cuius apoſtolicus ritus origo fuit?
Quo vos iudicio reprobos maiore probetis,
Quàm quod nil vultis ſacrificare Deo?
Hoſtia (Paulus ait) nam nulla relinquitur illis,
Qui peccant vltro, notáq; vera negant.

203 De eadem.

Miſſa (volũt multi) quia mittitur hoſtia, dicta
Sic miſſam vobis iure negare licet: (eſt,
Nam neque miſſa fuit vobis diuinitus illa,
Nec rurſum per vos mittitur illa Deo.

204 In ſcopum hæreticorum.

Hoc multi paradoxon arbitrantur,
Monſtriſq; omnibus amplius ſtupendum,
Sacris dogmata quæ notata ſcriptis,
A Chriſto vel Apoſtolis recluſa:
Paſſim mirificis probata ſignis,
Tot defenſáque martyrum cruore,
Tot ſancita piis patrum ſtatutis,
Doctorúmque libris tot explicata,

Vſu denique roborata longo:
Nunc demum à ſciolis nouis magiſtris,
A ſcurris, nebulonibus, proteruis,
Spurcis, ſacrilegis, apoſtatiſq́;,
Et (dicam vt ſemel) halitu cadente
Omni flagitio impio refertis,
Tanquam ludicra, vel nociua ſperni.
Sed nil eſt paradoxon, aut ſtupendum,
Si mentem heretici, ſcopúmque noris:
Nam quanto magis impium quid audet,
Horrendum procul ac abominandum:
Tanto ſe magis inde glorioſum,
Illuſtrémq́; putat fore, ac beatum.

205 In hæreticos apoſtatas.

ANxia doctores exercet quæſtio noſtros,
Quis fuit angelicæ cœtus apoſtaſiæ.
Crimen vtrum à multis factum ſit, an ordine ab
A varijs factum credo fuiſſe magis. (vno:
Namque ſui ſimilem nobis cum dæmones optent
Perniciem, ſimili ſchiſma cohorte mouent.
Iam ſed ab ordinibus monachorum pluribus ecce
Hereſeos primi proſiluere duces:
Vtpote Lutherus, Lambertus, Eraſmus, Ochinus,
Oeco & Lampadius, Bucerus, atque pares.
Hos turba innumere furiata mente ſequuntur:
Angelicæ ſpecimen ſic ſit apoſtaſiæ:
Exitiúmq́; ſequi nimis (heu) conformé videmus,
Corruat in ſtygios vt rea turba lacus.

206 In malitiam perdentium animas.

ESt hominis pro carne ſuam ſpreuiſſe ſalutem;
Velle alios ſecum perdere, dæmonis eſt.

207 In

107 In Eraſmum.

CVr non quem ſubijt monachatũ laudat Eraſmus?
Deſeruit, nec ſe vituperare poteſt.

108 In eiuſdem Eraſmi pro libero arbitrio contra Lutherum diſceptationem.

ARbitrium nobis ſeruum intrudere Luthero
Arbitrij ſeruo crimen ad omne ſui;
rosiluit pro Catholicis pugil acer Eraſmus,
Æqua accepturus mole giganta gigas.
n Bacchus Bitho commiſſus, fama canebat:
Spectatórq; frequens vndique pronus erat.
t cito pallidulus nobis athleta refrixit,
Proq; graui pugna fit pugil ecce leuis.
udere tyronis tantum ſe more profatur:
Atque problema, loco dogmatis eſſe facit.
lille ſed opprobrijs mulctatur ab hoſte feroci,
Qualis ab Entello fertur abiſſe Dares.
lox Hyperaſpiſten pro vindice mittis Eraſme:
Patronum reperit ſed bona cauſa malum.
c manet ambiguum, parti plus faueris vtri,
Propoſitum attingis neſcius immò ſcopum:
on ſatis arbitrij eſt pro libertate probanda,
Quod latus arbitrium vertis in omne tuum.

9 De Lutheri & Eraſmi differentia.

Arum Lutherus ac Eraſmus differunt,
Serpens vterque eſt, plenus atro toxico:
l ille mordet vt Ceraſtes in via;
c fraudulentus mordet in ſilentio.

210 De iuſtitia imputata.

Ponis iuſtitiam tibi imputatam,
Non quæ ponitur orthodoxè inhærens.
Cur hoc? es malè conſcius tibi ipſe,
Vt cui iuſtitiæ nihil, ſed ingens
Contra iniuſtitiæ lues inhæret.
Hinc ſpes omnis abeſt tuæ ſalutis,
Ne quis iuſtitiam det imputatam.
Eſto, iuſtitia imputetur abſens
Vt reſpondeat ergo condecenter
Ius cauſæ, meritóque retributum;
Sic vt iuſtitia eſt tibi imputata;
Sic mercede frueris imputata:
Proq; iniuſtitia tibi quæ inhæret,
Eſt & pœna tibi futura inhærens.

211 De fide.

Veſtra beat vos ſola fides, conamen, opúſque,
Et legem excludens: ô male fida fides.

212 De eadem.

Non eſt magna fides biſſenos credere tantum
Articulos, ſancti quos docuere Patres.
Reprobus electus quod ſit, Dei & hoſtis, amicus;
Perditus & ſaluus, credere; magna fides.

213 De eadem.

Dicis habere fidē, quæ ſuppleat omnia? quiſquis
Dogmata ſacra negat, non habet ille fidem.

214 De

214 De Miſſa.

CRedebam impietas quod impudentum
Erronum nocuiſſe ſat putaret
Deuoto ſpolians honore ſanctos,
Defunctiſq; pium negans honorem;
Et viuis merita eximens laborum:
Nunc, ut perſpicio, Deum nec ipſum
Immunem eſſe ſinunt ſua rapina:
Hunc priuare volunt peculiari,
Ac ſummè placito, imò ſingulari
Cultu, ipſi proprium offerente natum,
In quo complacuit ſibi, ſibi in quo
Semper complacet, atque complacebit:
Solo nomine cuius ob figuram
Omnis victima legis obſoleta,
Ac oblatio multiplex placebat.
Hunc ſemper ſibi poſcit offerendum,
Offerri quoque ſe patri ipſe natus
Mandat perpetuò ſua ſalubri
Facta commemoratione mortis.
Eo quid magis impium reatu?
(Horreſco referens) Deo quid aequè
Poſſum credere contumelioſum?
O inuiſa patrique, filióque,
Et dignas luitura ſecta poenas,
Si poenas habeat gehenna dignas.

215 De eadem.

NOn eſſe miſſam ſacrificium dicitis,
Sed iuge quoddam vult Deus ſacrificium:
Nam nullus ergo poſſit alterum dare,

Aut vos neceſſe eſt, aut Deum falſum loqui.
Vtrum putatis, ſi fueritis iudices?
Non vos opinor, ſed Deum damnabitis.

216 De iudicio hæreticorum & Dei.

DOgmata damnatis ſicut diuina, Deumq́;
Veſtra ita dãnabit dogmata, vósq; Deus.
Vtraque litterula tantum damnatio differt,
Quandoquidem iacens eſt illa, ſed iſta fortis.

217 De canone Miſſæ.

CVr ſacer ille canon ſic diſplicet (obſecro) vobis,
Vt moueat ſtomachũ res pia nulla magis?
Omnia ſacra ſemel, canonásq; horrentibus omnes
Duplice iure ſacer diſplicet ille canon.

218 De Miſſa, quam abuſum vocant.

RItum illum celebrẽ miſſæ vocitatis abuſum?
Ferre quidẽ dictũ poſſumus, haud animũ.
Quod Miſſã ab nimio, fateor celebramus abuſu,
Culpa grauis nobis impietatis adeſt.
Sed quod Catholico Miſſam remouetis ab vſu,
Culpa grauis vobis impietatis adeſt.

219 De calumniis eorum.

MAgnos Rhetoras eſſe Lutheranos
Ex vna ſatis ac nimis figura
Eſt cognoſcere, fictione dicta,
Quam præter reliquas magis frequentant,
Vt vota ad ſua maximè iuuantem;
Nam cùm nequitiæ & rebellionis
Tanta ſint ſibi conſcij, nihilque
Contra Catholicas valere partes

Se norint, populo videntes verum:
Ne verum populus videre poſſit,
Ad vim confugiunt calumniarum,
Et nugas odia ad mouenda fingunt:
Vt quod iustificare nos velimus
Noſtrorum ex operum labore, ſicut
Hebrai abſque fide ſibi placentes:
Quod freti arbitrij vigore, cælum
Iactemus ſine gratia mereri,
In quo tu, ô Pelagi, ac tui periſtis
Submerſi Pelago, horror vnde nobis
Et noſtri quod imagines adorent,
Idolum velut ethnici colentes:
Quod myſteria rituum ſacrorum,
A Chriſto licet, èxq; Apoſtolorum
Certis traditionibus recepta,
Sint mandata hominum recens reperta:
Quod Chriſti meritumq; gloriamq;
Sanctorum veneratione, & omni
Poſtremò pietate destruamus.
Sic ſi fingere, ſic calumniari,
Mentiriq; licet, nec vlla veri,
Aut falſi ratio eſt habenda cuiuis:
Sed qui turgidius proteruiúsque
Doctrinam inſinuat licentioſam,
Is palmam quaſi preminens reportat,
Chriſtus ſimplice veritate gaudens,
Prorſus de meritóque gloriáque
Iſtis temporibus periclitatur,
Niſi ſe Rethorica tuetur arte.

220 De ijſdem.

ERrones nobis errorem appingere tentant:
Errare alterutros quippe neceſſe vident:
Eſt error vobis; nobis erroris at horror:
Hoc non proſpicitis? maximus error hic eſt.

221 In auaritiam eorum.

VXorem iuuenis Lutheri alumnus
Duxit decrepitam quidem, ſed amplis
Pulchram diuitijs. Quid hoc Luthere?
An non progenies neceſſitáſque
Quam tu concubitus facis, tuorum
Cauſa eſt vnica matrimoniorum?
Vxorem ſed ego intuor frequenter
Vos non ducere: duxit iſte dotem,
Alter mollitiem, genus, fauorem:
Et quid non vitij inde conſecutum?
Hæc an lex tua præcipit Luthere?
Horum credo velis datam eſſe cunctis,
Sicut concubitus, neceſſitatem.

222 De eorum charitate.

CErtant Grammatici anxiè Latini,
Vtrum litera prima charitatis,
Et chari aſpera ſpiritu, anne lenis
Sit ſcribenda magis, vel efferenda.
Romani titulo frequentis vſus
Aſpirant, & originis Pelaſgæ:
Græcis gratia nam χάρις vocatur.
Germani at, quibus eſt ſcientiarum
Præter Grammaticam nihil parùm vu.

Et qui notitiam vocabulorum
Doſtrinæ faciunt ſacræ eſſe ſummum,
Quamuis omnia verba fermè ab vſu
Aſpirent patrio: tamen vetabunt
Aſpirare duo illa controuerſa:
Tanquam vocis origo ſit Latina.
Nam carum haud aliud, niſi caro his eſt:
Et ſola his caro caritas vocatur.

223 **De eadem.**

CHara caro eſt vobis, vobis nec cara videtur,
Qua citra precium nunc licet omne frui.
Sed precium æterni dum creditor exiget ignis,
Cara nimis, nec iam chara futura caro.

224 **Quod dicant licere cum excommunicatis verſari.**

QVas contumaces paſtor excommunicat,
Fas eſt apud vos colloqui, conuiuere,
Negotiari liberè cum cæteris,
Quamuis prohibeat Paulus hæc, vt promptius
Reſipiſcat ille: facite ſed vos vt lubet:
Hunc duco vobis eximendum ſcrupulum,
Poſſitis omnes vt ſimul conſueſcere,
Cum ſitis excommunicati omnes ſimul.

224 **De confeſsiones ſacramento.**

CVr temerè à vobis confeſſio ſacra vetatur,
Quam liquet à Chriſto primitus eſſe datã?
Numinis inſtinctus non eſt, ſed dæmonis iſte,
Conſilium cuius nouimus, idq́ palam.
Qui ſcelerum vobis virus letale propinat,

Illa

Digitized by Google

Ille ſalutiferum ſurripit antidotum.

226 In tollentes confeſsionem.

CVr nec crimina veſtra confiteri
Ritu Chriſtigenûm omnium vetuſto,
Nec cuique ſua confitenda vultis?
Non longè ratio petenda nobis,
Verbis pluribus eſt vel explicanda,
In promptu nimis hæc, nimis ſe aperiè
Prodit, ſi ratio tamen vocanda eſt.
Tædet crimina flere delicatos,
Et proferre palam pudet ſuperbos;
Purgari à vitijs piget ſceleſtos,
Perdi quemque ſimul iuuat malignos.

227 De Religione eorum.

CVr ſecta iſta ſacros ritus, & dogmata damnat?
His ſine perfecta relligione viget.
Relligio eſt illi diuinam attendere legem:
Eſſe mali immunes, participeſq; boni.

228 In eandem.

REligio ſi, quòd religet, ſic dicta putatur,
Hæreticis quæ gens relligioſa magis?
Sunt etenim ſcelerum religati mille cathenis,
Iis quoq; relligio ſub Styge maior erit.

229 Contra æqualitatem dierum quam ponunt.

ESſe dies cunctos æquales vnde putatis?
Coſmographi hoc vobis Aſtronomiq; negãt:
Solus enim medij ſe ſic habet ambitus orbis,

Cuius

Digitized by Google

Cuius horizontem tangit vterq; polus:
Siccine ſit vobis Borea confinibus? Atqui
Forte nec abſurdum, nec paradoxon id eſt.
Nam cùm naturæ viuatis more ſolutæ,
De naturali dicitis iſta die;
Vel quia caligant oculi ſine lumine veſtri,
Neſcitis quid nox differat, atque dies.
Vtra libet moueat ratio: mage dicite nocteis
Æquales vobis, eſt vbi nulla dies.
Æquales ſi verò dies hoc dicitis eſſe,
Tempore quòd veſtro non varietur opus;
Sic habet: vſque adeò vitam compleſtis iniquam,
Vt fieri haud melior, deteriórve queat.

230 In eorundem excommunicationem.

TAm contumace, tam procace ſpiritu
Ab orthodoxis Lutherani diſsident,
Vt nil ſacrorum rituum, nil dogmatum,
Quod non apertus bibliorum vrget locus,
Sibi relinquant prorſus: at contrarijs
Tollunt ſtatutis: ſi quid autem clarius,
Probatiusq; eſt, quàm calumniam vt ferat,
Fingunt, refingunt, amputant, mutant ita,
Conforme iam non vſui vt ſit priſtino.
(Baptiſma quale, qualis Euchariſtia)
Poſtremò votis ſe videntur maximis
Strinxiſſe, totis ac ſtudere viribus
Commune planè habere nobiſcum nihil.
Cur hos ſupreme paſtor excommunicas?
Ipſimet an ſe non ſat excommunicant?

231 Con-

231 Confeſsionis Lutheranæ promulgatio.

HVc, huc ab omni parte læti currite,
Quoſcunque crimen obligat nefarium:
Sæui latrones, atque piratæ feri,
Truces tyranni, proditores impij,
Fures rapaces, ſacrilegi, fœdifragi,
Crumenicidæ, venditores ſubdoli,
Incendiarijq́; & vſurarij,
Proceres iniqui, quæſtuoſi iudices,
Prauiq́; litis aduocati conſcij,
Falſiq́; teſtes, debitores perfidi,
Calumniator, peierator, & reus
Simoniarum, quiq́; conſultor malus,
Seductor audax, proxeneta noxius,
Diſcordiarum, præliorúmq́; artifex,
Bellator atrox, atque plagiarius,
Monopoliorum ſuſcitator peſtilens,
Impoſtor effrons, aleator improbus,
Quicúnq́; tandem fraude, ſeu vi ceteros
Inuadit, angit, opprimit, circumuenit,
Adeſte prompti, iubilate, plaudite:
En legis ipſe Lutheranæ præco ſum
Vobis ſalutem nuncians facillimam,
Quam denegabant compedes Papiſticæ:
Confeſsionem quippe criminum hactenus
Exhorruiſtis, nec profectò iniuria:
Ne tot lucrorum, facinorúmq́; enormium
Præſcriberetur dura reſtitutio:
Nec non adeſte, quotquot execrabilis
Premit reatus dira conſcientia,

Quam-

Quam confiteri vos ſacerdoti pudet;
Vt parricidæ, matricidæ, adulteri,
Scurræ, cinædi, ſycophantæ perditi,
Laſciuiiſq; peſsimis obnoxii,
Superbi, auari, liuidi, ſicarii.
Tum lurco, leno, ganeo, veneficus,
Et verbo vt vno finiam, quoduis ſcelus.
Poteſtis omni liberi moleſtia
Peccata veſtra ponere, ac reſumere,
Quoties libebit, vel die vno millies:
Nam lege noſtra ſufficit ſoli Deo,
Hominiue cuiuis confiteri paucula,
Et illa, quæ ſint omnibus iam cognita:
Vel in genere duntaxat effari ſat eſt
Vos eſſe culpis propriis damnabileis.
Sic abſque fletu, vel ſatisfacto ſtatim
Remiſsionem ſumitis plenariam
Culpæ atque pœnæ: ſic Dei eſſe filios,
Et certa cœli regna iam præſumite.
Placétne vobis ſanctio? vah quàm citò
Cuncti annuiſtis, quàm benignè applauditis,
Mihi offerentes aurum hic, ille poculum,
Aliúſq; quicquid obuium ſit ad manum.
O lex hominibus gratioſa perditis!
O liberalis lex, ſed alieni boni!
O lex ſupernæ gratiæ tam prodiga,
Vt nullus eſſe poſsit inferni metus!
Ipſos vel imò dæmones nequiſsimos
Lex iſta poſsit cum beatis ponere.
Nam ſi ad ſalutem ſola ſufficit fides,
Quam Lutherani vendicant fidem ſibi,
Sibi perinde vendicant & dæmones:

Vtriſque

Digitized by Google

Vtriſque cùm ſit abſque operibus par fides,
Beatitudo par vtriſque competit.

232 De eadem confeſsione.

COmmoda magna duo cõfeſsio veſtra propi-
Lumina nec fletus, nec rubor ora tenet. (nat,
Nam conficta fides veniam præſumit ineptam:
Criminibus tacitis frons quaſi iuſta nitet.
Vos etiam reddit confeſsio veſtra beatos,
Sicut apud vulgus pagina ſacra probat.
Nam quorum ſunt tecta (refert) peccata, beati:
Hoc voluit Dauid ſcilicet, hoc cecinit.
Eſtis enim, dum tecta manent peccata, beati:
Vos pœnæ at, fuerint dum patefacta, manent.

233 In eorundem legis commoditatem.

QVidam ſecutus Lutheranas hereſeis,
Ob illecebras carnis & licentiam,
Quæ corda, ferrum ſicuti Magnes, trahit:
Cùm iam propinqua tela perſentiſſeret
Acerba mortis, cœpit expaueſcere,
Acerbiora cogitans quanto forent
Tormenta ſæui perferenda tartari.
Quare (quod hora remedium breuis dabat)
Ad ſe vocari mox ſacerdotem iubet,
Cui fleta ritè confitetur crimina:
Carpentibusq́; factum amicis vt malum,
Satis ſit (inquit) vos quod audiui hactenus:
Lex iſta viuis commoda eſt, non mortuis.

234 De inquieta eorum conſcientia.

CVr ita, ceu dubius nemora inter dēſa viator,
Vertitis huc illuc triſte ſubinde caput?

Per-

Pergite: mentitur, qui vos errare ſuſurrat,
Iſta petituris Tartara recta via eſt.

235 De ancipite Lutheri nomine.

NOmine Lutheri forte ſſe videbor abuſus?
Protraho quod voto, contraho quodq; meo.
Anceps iure mihi eſt, ſibi nam Lutherus & anceps,
Protrahitur voto, contrahiturq; ſuo.
Dogmata producit ſua nunc, mox corripit illa:
Nomina producam, corripiámq; licet.

236 In hæretici calumnias.

CAtholicum vario accuſat, damnátq; cauillo
Hæreticus fraudis, nequitiæq; reus.
Accuſatoris partes iam, & iudicis egit:
Carnificis partes, ſi modo poſſit, aget.
Sed diuina licet nos puniat vltio iuſtè,
Hæreticus nunquam deſinet eſſe reus.

237 De lege eorum.

QVomodo vos nulla poſitos ſub lege putatis,
Cùm legem teneant terra, polusq; ſuam?
Diuinam legem ac humanam ſpernitis? eſto:
Et natura data quam ratione facit?
Quam carnis natura dedit, non ſpernitis: immò
Ipſamet eſt vobis lex ſacroſancta caro.
Dixeritis forſan, non lex eſt illa, ſed illex:
Compellunt leges, illecebræq; trahunt.
Lex ita non vobis eſt vlla, ſed hæreſis exlex:
Non ſine iudicio, ſupplicióq; tamen.
Qui ſine lege etenim peccant, ſine lege peribunt:
Sit lex, ſeu non ſit, cùm pereatis, idem eſt.

Quin

Quin potius grauior vobis damnatio longè eſt,
Lex quibus ante Dei cognita ſpreta fuit.

238 In confeſsionem eorum.

SOlum crimina nota confiteri
Nos Luthere iubes: at hoc perinde eſt
Sicut crimina nulla confiteri.

239 De Sacramento extremæ vnctionis.

SAcro cur oleo (fidelis vt mos)
Vngi vos piget imminente leto,
Vt ſic fortiter hoſtium ſupremum
Muniti ſuperetis hunc agona?
An cum dæmone forte fœdus ictum,
Et tranquilla diu neceſsitudo
Securos ita reddit, & ſuperbos,
Vt ſpernatis opem ſacri liquoris?
Sed nil hoc opus eſt, ſat eſtis vncti
Illo pingui oleo, atque fœculento
Peccatoris, vt acriore flamma
Fornacis ſtygiæ perardeatis.

240 De eodem.

DIuina ex oleo manat miſeratio ſacro:
Spernitur hoc ſi cui, ſpernitur illa ſimul.

241 De ciborum delectu.

REligione cibos nullos diſtinguere vultis:
Relligio ad veſtram non facit iſta gulam.
Cur etenim fatuas lautis poſtponitis eſcas?
Cur temeto vappam? pocula miſta meris?
Corporis in victu ratio (dicetis) habenda eſt:

Cur

Cur animæ ratio non ſit habenda magis?
At neque diligitis carnale iuuantia corpus,
Sed ſale quæ multo, craſſitiéque nocent.
Crapula & ingluuies animam cũ corpore perdũt:
Delectus melior noſter vtriq; foret.
Delectum aut igitur victus admittite nullum,
Aut cui ſit ratio cum pietate canon.

242 De ipſorum Catechiſmo.

QVi Lutheranis initiari vult ſacris,
Abiuret hic omnem penitus cultum pium,
Et orthodoxæ eccleſiæ chariſmata,
Sedíſq; Petri priſcam obedientiam:
Mox ſe tenaci iureiurando obliget,
Ad veritatis monita, ſicuti ſolet
Aſpis ſalubre ad carmen, obſurdeſcere.
Quid peius iſtis prô dolor phreneticis,
Omnem ſalutis qui ſibi obſtruunt viam,
Nullamq; morbo ſpem ſuperſtitem ſinunt?
Verum phreneſi peior hæc inſania eſt,
Neceſſitate peior vt malignitas.

243 In fallaciam.

QVa trahit arte rogas homines hæc ſecta? rogas ô
Hamatus piſces qua trahit arte cibus?
Illecebra carnis nulla illecebroſior eſca:
Nullus, vt hæreſeos, hamus aduncus ita eſt.
Non igitur mirum eſt illuc concurrere multos,
Et cautum paucos inde referre pedem.
Multa fuit ſeclis idololatria vetuſtis,
Sed veſtra nuſquam nequior vlla fuit.
Nam præter Venerem, Bromium, Comũ, Geniũq;,

Digitized by Google

Nullum ſuſcipietis, ſuſpicitiſq́; Deum.

244 De rapina bonorum eccleſiaſticorum, &c.

EN redit antiquis proſcriptio ſueta tyrãnis,
Ciuibus eiectis quæ rapiebat opes.
Nam modo Teutonici Luthero authore tyranni,
Qua mage diteſcant, hanc iniere viam.
Pulſis præſulibus, monachis, aliiſq; piorum
Ordinibus, cenſus diripuere ſacros.
Lutherum eſſe tamen peiorem dico tyrannum:
Illi vt latrones, hic velut hoſtis agit.

245 De doctrina Chriſti, & ipſorum repugnantia.

EST & nõ negat in Chriſto præco inclytus eſſe,
Doctrinam verax nam dedit ille bonam.
Eſt, & non putat in Chriſto præco impius eſſe,
Doctrinam mendax des quaſi Chriſte malam.

246 De eadem.

DOgmata ſana dedit pridẽ ſua Chriſtus, at iſti
Noxia ſub Chriſti nomine tecta docent:
Sic populo imponunt, ſic legem deniq; Chriſtum
Ignorare ſuam, ſéq; negare iubent.

247 De eadem.

VElata Chriſtum facie illuſere latrones,
Tanquã ignoraret qua genã cæſa manu:
Sic faciunt iſti, qui veram abſcondere lucem,
Quémque petunt rigido calce latere volunt.

Digitized by Google

248 De eadem.

CHriſtus falſa docet, doceat ſi vera Lutherus.
Cùm genus oppoſitum legis vterq́ ferat:
Sit Deus at verax, homo mendax omnis, & omnis
Dæmon; nam dubium eſt ſitne Lutherus homo.

249 De principiis doctrinæ iſtius.

ERrorum quare ingẽtem cumulatis aceruũ,
Si breuior cunctos ſtringere ſumma poteſt?
Nolumus (aſſeritis) ritus, ac dogmata patrum:
Sed volumus tantum quod ſcheda ſacra tenet.
Nolumus expoſitam à ſanctis doctoribus illam,
Sed volumus noſtra non niſi mente capi.
Principijs quæcunque libet concluditis iſtis,
Chriſtus & inuitus dogmata veſtra probat.

250 De concordia ſectarum.

DIſcipulos vario turbatis dogmate veſtros:
Conſtat & inter vos plebe quærente nihil.
At tunica Chriſti ſemel ex quo ſectio facta eſt,
Vos mille in partes ſchiſmata nata ſecant.
Sed quid ego adiuto, curamq́ leuaſſo moleſtam,
Ecquid erit precij? gratis at iſtud agam.
Dogmata particulis ne multiplicate minutis,
Diſſidium vobis naſcitur vnde frequens.
Sed commune quod eſt cunctis, id promite ſolum:
Sic credet vulgus quod ſapiatis idem.
Vnum dogma ſatis breue perſpicuumq́ futurũ eſt.
Quod? volumus ſola (dicite) carne regi.

251 In religionem eorum.

Cur trahis innumeris feſſas ambagibus aures
Commentis aptans biblia torta tuis?
Impius eſſe cupis, pius & moliris haberi:
Relligio pietas impia nempè tua eſt.

FINIS.

Hæc in hæreticos Epigrammata authore Andrea Fruſio Societatis Ieſu, nihil à ſana doctrina alienum, ſed multa ad mores in melius formãdos vtilia cõplectuntur. Quare tutò typis mandari poſſe cenſeo. Menſe Iulio 1591.

Balthaſar Seulin Eccleſiæ Collegiatæ S. Amati Decanus, ad hoc muneris a Reuerend. Epiſ. Attreb. deputatus.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google